

querela studeatis. Nos enim, cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eandem quæ-  
moniam per nos ipsos discutemus, et tam pro Ec-  
clesia Corbeiensi, quæ ad jus imperii nostri spe-

ctat, quam pro persona, quæ ibi præest, quæ diu et  
multum imperio servivit, sive judiciario ordine, sive  
alia convenienti compositione, eandem causam  
terminabimus.

## APPENDIX AD EPISTOLAS WIBALDI

*Ne quid in nobis ad illustrandam eximii viri Wibaldi abbatis Stabulensis et Corbeiensis memoriam desiderent viri eruditi, ipsius epistolis visum est subijcere per modum Appendicis nonnulla monumenta sive diplomata quæ cum aut ipse obtinuerit, aut de ipso agant, ad illius commendationem non parum conferre poterunt. Ea autem sive ex mss. insignis monasterii Corbeiensis, sive aliunde a nobis collecta sunt.*

### I.

*Diploma Frederici archiepiscopi Coloniensis, de subjectione Malmundariensis monasterii et superioritate Stabulensis supra illud.*

(Anno 1128.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, FRÆDERICUS, Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, fratribus in Stabulensi cœnobio commendentibus æternam in Domino salutem.

Memores Scripturæ dicentis : *Beati pedes pacem portantes*; sicut nos in Ecclesiis nostris bonum pacis et concordie conservare studemus; ita in eis et ab eis scandalorum et dissidii occasionem præcidere curamus, et sicut nostra in suo statu permanere cupimus, sic aliorum juste habita convellere formidamus. Eapropter materiam dissensionis et discessionis, quæ hactenus Stabulensem et Malmundariensem Ecclesiam longa simultate vexavit, reseccare volentes, subministrante nobis fratre Wibaldo (216) Stabulensis Ecclesiæ magistro atque portario, supradictorum locorum foundationem, et Stabulensis Ecclesiæ privilegia diligenter relegimus, in quibus inventum est beatum Remaclum utriusque loci ædificatorem, post constructum primo a se Malmundarium, suæ et successorum suorum habitationis et sepulturæ, principalem locum apud Stabulaus elegisse, et pro eo quod idem locus in Leodiensi parochia est, omnes per successionem utriusque loci abbates ab episcopo Leodiensi consecrari debere. Ad hoc etiam accedit quod omnia privilegia, tam hanni leugæ quam electionis abbatum, et quæ de jure advocati agunt, quæ ab imperatoribus et regibus eisdem locis multa collata sunt, et eadem, ab apostolicis Gregorio V et Leone IX apostolica auctoritate roborata, quibus jus suum utraque Ecclesia tuetur, apud Stabulaus recondita sunt; in quibus illa Stabulensis Ecclesiæ præeminet dignitas, ut pace Malmundariensium, primam vicem in eligendo abbate Stabulenses obtineant; et de seipsis

(216) Non multo post factus abbas Stabulensis, deinde Casiensis; tum Corbeiensis; quatuor impe-

B idoneam personam sine Malmundariensium calumnia assumant. His ita se habentibus, perspicuum est, quod Ecclesia Stabulensis principatum obtineat, Malmundarium vero subjectionem ei et obedientiam debeat. Quod Malmundarienses eo usque hactenus infirmare conati sunt, ut tempore divæ memoriæ Ottonis secundi dissidio facto, abbatem per se habere vellent, quod in Engelheim judicio viginti episcoporum, ut in privilegio supradicti imperatoris, quod super eadem re habetur, legi potest, cassatum est. Tempore quoque domni Henrici imperatoris hujus nominis quarti per domnum archiepiscopum Annonem rursus facto divortio, abbas quidem Malmundarii ordinatus est, sed per beatum Remaclum in curia regis miraculis inæstimabilibus coruscantem convictis omnibus qui adversæ partis aderant, receptum est a Stabulensibus Malmundarium. Nos vero ut jam dictum est, omnem materiam dissensionis et scandali secundum tenorem veritatis et rationis a præfatis locis auferre cupientes, constituimus, et præsentis privilegio in perpetuum firmamus, ut utriusque loci unus semper præficiatur abbas electus secundum quod in supradictis privilegiis habetur, et ut Malmundarium eo subjectionis jure Stabulensi Ecclesiæ obediat, quo jure omnes cellæ vel præposituræ suis cœnobiis subesse videntur. Benedictionem monachicam et professionum suarum chirographa, non ut præsentis anno fecerunt, sed potius in Stabulensi Ecclesia, excepta mortis necessitate, faciant et reddant, nec eis ad exemplum opitulari debet hoc aut potest, quod jam moto præfato dissidio, abbas Theodoricus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarii benedixit et profiteri fecit, ut scilicet pro hoc fideliores et subjectiores sibi faceret, quod cum non effecisse finis rerum indicavit. Neque vero ullus successorum nostrorum Coloniensium videlicet archiepiscoporum abbatem Stabulensem de subjectione sibi faciendâ et cura Malmundariensis loci suscipienda, ut notatoribus, Henrico IV, Lothario II, Conrado II et Frederico I in deliciis fuit.

stris temporibus tentatum est, unquam fatiget, sed in consecratione sua curam utriusque Ecclesie suscipiat. Porro quia de ordinibus et consecrationibus Malmundariensis loci ad nostram parochiam pertinet, si abbati placuerit, ordinatos fratres Malmundarium mittere, hoc ei quia ubique inter ejusmodi loca apud monachos fit, non negamus, aut si sub titulo ejusdem loci voluerit nobis ordinandos presentare, eis quoque manum imponemus. Atque ut omnem scandalorum pravitatem predicamus, hoc quoque statuimus, ut si aliqua gravis causa vel culpa Malmundarii contigerit, nullo modo absque Stabulensium deliberatione, et consensu terminari liceat vel emendari, sitque abbati libera potestas commutandorum, nutriendorum, recipiendorum, prout sibi videbitur, fratrum suorum. Quae omnia ut stabili et inconcussa firmitate permaneant, sub anathematis interpositione decernimus, et testes qui in donatione hujus privilegii affuerunt subnotari fecimus: Arnoldus praepositus Sancti Petri, Hugo decanus, Bruno praepositus Sancti Gereonis, Arnoldus praepositus Sanctae Mariae ad gradus, Rubertus abbas Tuitii, Gerardus abbas Sancti Pantaleonis, comes Adolphus de Saffenberch. Item Adolphus de Berge, Theodericus de Gladebach et alii multi utriusque ordinis probatissimi.

Actum est hoc Coloniae anno ab Incarnatione Domini 1128, indictione vi, regnante domino rege Lothario III.

## II.

*De possessionibus Stabulensis monasterii sub S. Poppone abbate.*

(Anno 1130.)

Abbas a prima institutione monasterii nunquam aliquas proprias curtes suo vel regni servitio deputatas, sed tenebat Ecclesias abbatiae suis et regni necessitatibus servientes, exceptis quibusdam quae ad usum fratrum pertinent. Et sicut abbas Poppo renovator coenobii nostri, qui ab annis duobus et octoginta (217) vita excessit, ipse tenuit, et successoribus suis tenendas reliquit, ita ecclesias et possessiones ad abbatem et regni servitium pertinentes adnotabimus. Deinde qui abbas Poppo loci nostri depopulator dederit aut vendiderit subscribemus. Ecclesia de Oyseis solvebat ad manum abbatem vi libras, Ecclesia de Graisdé iv libras, Olfait ii libras, Osisines iii libras, Fineval ii libras, Spontin vii libras, Haletin v libras, Jupille ii libras, Izers iii libras, Longia ii libras, Hoseumont x libras, Rochelengues x libras, Awogne v libras, Lovigneis ii libras, Verviers ii libras, Keren v libras, Buiteback xl solidos, Bolenges xxx solidos, in curte Wellin xvi libras, in curte Novævillæ ix libras, in curte Wailendor ix libras, in curte Bacinga x libras, in Leignon iii libras, in Comblenz iii libras, in Seignaces ii libras, de censiis in Oseis iii libras, de censura in Aiflois ii libras, in Okeriis ii libras, in Bra

A iii libras: summa, cxxxiii libræ; in Lernau i carratam vini, in Baldau i, in Rahieres i, in Chevrons i, in Sanctovito ii, in Tumbis iv, in Waimis i, in Amblavia ii, in Lorenceis i, in Novavilla ii, molidinum Malmundarii unam carratam vini. In Wellin xl arietes, in Lengun xx, in Olziers xxxviii, in Generez xxii, in Lovengeis xxx, in Lernau xxx. Mansus de Chenruus tenet bonuaria terræ xxv, mansus de Rahieres tenet bonuaria xxiv.

## III.

*Diploma Lotharii imperatoris II Wibaldo abbati concessum. — Confirmat monasterii possessiones et immunitates, abbatem electionem, advocatum unicam, etc.*

(Anno 1131.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, Lotharius III, Dei gratia Romanorum rex, Wibaldo Stabulensi abbati suisque successoribus.

Cum universis Jesu Christi Ecclesiis regalis providentiæ cura deesse non debeat, tamen secundum apostolicam institutionem, qua domesticis fidei maxime debebatur bonum impendere, eis Ecclesiis auxilii nostri suffragium impensius exhibere debemus, quæ sub nostræ provisionis tuitione consistunt, et pro nostro et totius imperii statu speciali quodam studio orare non desistant. Neque enim vero minoris gratiæ est destructa reformare quam nova ædificare. Unde noverit omnium fidelium nostrorum tam futuræ quam præsentis ætatis industria quod nos cum conjugæ nostræ Richiza, ob venerationem beati Remacli locum Stabulaus devote adivimus, ubi a fratribus loci ejusdem Ecclesie jura et privilegia diligenter audivimus et relegimus. Itaque petitione et reverentia abbatem Wibaldi privilegia quæ illi Ecclesie a regibus Sigiberto, Hidrico, Clodoveo, Dagoberto, qui constructores fuerunt præfati loci, data sunt, sive ab imperatoribus Carolo, Ludovico et tribus Ottonibus, Cunrado etiam et quinque Henricis, et cæteris fidelibus qui eidem Ecclesie aliqua bona contulerunt, confirmamus et roboramus. Habeant itaque monachi ejusdem loci liberam potestatem eligendi abbatem secundum Regulam sancti Benedicti, et formam canonum, ita utraque monasteria, id est Stabulense et Malmundariense semper sub unius abbatem regimine consistant, et quia in eorum principali, id est Stabulaus, beatus Remaclus sepulturæ locum sibi elegit, semper apud Stabulaus electio fiat, ea præponderante ratione, ut de conventu Stabulensis Ecclesie idonea persona, si inventa fuerit, primo assumatur. Quod si minime, quod non credimus, ex eo loco promoveri aliquis potuerit, tunc primum ex Malmundario vel ex altero loco apta persona requiratur. Quidquid hactenus quiete et inconvulse possederunt, quidquid per concambia mutaverunt, inviolabiliter eos possidere deinceps decernimus. Statuimus etiam ut unum tantum advocatum habeant, qui si secundum a se constituere voluerit, bannum a nobis accipere debe-

(217) S. Poppo vita excessit anno 1048; ac proinde instrumentum istud anno circiter 1130 datum est.

bit, qui advocati in curtibus ejusdem Ecclesie neque mansiones, neque hospitia debent habere, et in omnibus placitis abbatis nec adesse, nec aliquod jus exigere debent, non precarias facere, non palefros sumere, non freda, non paratutas, non redibitiones exposcere nullam prorsus exactionem facere. Sed si ab abbate ob necessariam causam fuerint invitati, in eis duntaxat causis, quas abbati correxerint, tertiam partem accipient, neque in his rebus quas eadem Ecclesia adhuc acquireret, aliud quam predictum est jus unquam obtineant. Hoc quoque in eodem loco abjudicari fecimus, et presentis privilegio inviolabiliter sancimus, ne jure hereditario villici vel iudices fiant, sed utrumque ministerium, id est villicaturae et juveria in potestate abbatis et gratia consistat, et eis jure et lege ministeriorum et non jure beneficiorum diem et legem abbatis constituat. Omnia vero beneficia quae abbas Poppo secundus dedit, lege sempiterna damnamus, et irrita esse, juxta praedecessoris nostri imperatoris Henrici sententiam, decernimus. Villam Turnines quae ad mensam fratrum pertinet, quam eis Godefridus comes Namurcensis injuste abstulit, quamque iudicio curiae in manu imperatoris Henrici refutavit, jure perpetuo fratribus confirmamus, et villam Vilippam, juxta privilegium ejusdem imperatoris, quam Warnerus de Kerpenne injuste invaserat, fratribus aeterna firmitate restituimus. Terminos banni leugae, juxta decreta omnium antecessorum nostrorum, regum videlicet et imperatorum, confirmamus et banni nostri interpositione munimus. Et ut omnia rata et inconvulsa permaneant, et presentis privilegio firmavimus, et sigilli nostri impressione consignari fecimus.

*Signum domni Lotharii III Dei gratia Romanorum regis invictissimi.*

Thyetmarus ad vicem Adelberti archicancellarii recognovi.

Data Stabulaus Idus Aprilis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo primo, indictione Nona, anno sexto regni domni Lotharii III Romanorum regis serenissimi feliciter. Amen.

## IV.

*Charta Wibaldi abbatis Stabulensis, de rebus ab eo D gestis et emendatis in curte Andernaci.*

(Anno 1152.)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis.

Quoniam oportet nos, sicut promisimus, dispersa congregare et congregata conservare, nos in rebus ecclesiae nostrae nimium neglectis et dilapsis proposuimus Dei miseratione studium restaurandi cum omni sollicitudine impendere. Quapropter notum esse volumus, tamen posteris quam presentibus, quod in curte nostra Andernaci, possessiones nostrae per infideles ministros multum minoratae fuerunt, partim ab ipsis oppignoratae, partim pro vilioribus commutatae. Nos igitur cum fide-

libus Ecclesiae illuc venientes, recensitis possessionibus, et hominum censu connumerato, invenimus quam plurima contra utilitatem Ecclesiae nostrae, praeter consensum nostrum et praedecessorum nostrorum confirmationem esse alienata. Quae omnia injuste ordinata nos rationabiliter irrita esse decrevimus, promulgato tam hominum nostrorum quam scabinorum ejusdem curtis, juxta canonicam formam, iudicio, ut nulla commutatio vel alienatio rerum ecclesiasticarum rata esset, nisi quam consensus fratrum et legitima abbatis donatio, cum advocati astipulatione dato testamento confirmaret, ita quibusdam receptis, habito cum fidelibus nostris, consilio, commutationem de curte, quam vulgo mansionem vel censum dicunt, quae ad indominicaturam nostram pertinebat, quae facta est cum quodam Adelberto aequae pro sua curte et vinea quae quatuor amas vini solvere potest, concessimus et confirmavimus, ita ut retenta prorsus nobis vinea, curtem quae in concambium accepta erat, quidam ex familia, Nicheiz nomine, quam in ea aedificaverat, quiete possideret et per singulos annos xx denarios census pro ea solveret. Quaedam etiam curtis nostra quae est in Lodenesdorp commutata erat cum quodam Heinrico pro curte sua, quae est in Andernaco, et pro vinea quae ferre potest tres amas vini, et retenta vinea concessimus eidem Nichoz ipsam curtem pro xx denariis census, quos itidem prius solvebat nostra curtis.

Actum est hoc in curte et domo nostra Andernaci, anno ab Incarnatione Domini 1152, indictione decima, regnante domno Lothario III Romanorum rege, domno Alberone Trevirensi archiepiscopo.

Hujus rei testes sunt, Hillinus praepositus, Ebroinus praepositus, Albricus, Warnerus, monachi; ex laicis, Widericus Albus, Hillinus de Alriniunt, Arnulfus de Osnes, Godefridus de Cittene; de scabinis, Folbertus, Siboldus, Borchardus, Bezelinus et alii multi.

## V.

*Wibaldi abbatis constitutio, De ecclesiarum Longiae et montis Rainheri investitura a laica manu non accipienda.*

(Anno 1155.)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. WIBALDUS divina misericordia Stabulensis abbas, HERIBRANDO de Longia et successoribus suis.

Utiliter satis ac provide rerum gestarum ordo ad notitiam futurorum scripto transmittitur, ne per ignorantiam legi . . . . . permutetur. Unde novetur omnis nostra posteritas, quod tu tam tibi quam successoribus tuis ecclesiam quae est in villa Longiae, et eam quae est in monte Sancti Rainheri ab antecessoribus nostris, domno videlicet Cuonone abbate, et domno Joanne abbate jure feodi obtinueras, pro supplemento beneficii, quod pro eo habes, et semper et jugiter in castello nostro Longia maneat, ita videlicet ut quotiescunque supradictae

ecclesiæ defunctis sacerdotibus vacarent, tu manu tua ipsas ecclesias dares, et personam ad investituram altaris per te conduceres. Verum nostro tempore, defuncto fratre Roberto presbytero, qui easdem ecclesias habuerat, nos nullis precibus, nullo consilio . . . . . potuimus ut ecclesiarum possessionem a laico dari concederemus, sed quia te tanquam virum bonum ac fidelem multum diligimus, et tam hæredes tuos, quam te, in mansione castelli nostri conservare volumus, ex consilio fratrum nostrorum et hominum ecclesiæ utilitati et honori tuo aliter providere curavimus. Concessimus enim tibi, et præsentis scripto jure perpetuo firmavimus, ut tuum sit vacantibus præfatis ecclesiis personam idoneam et canonicam nobis vel successoribus nostris ad investiendum præsentare, nec liceat aliquando nobis vel alicui abbatum personam, quæ a te vel hæredibus tuis exhibita fuerit, aliqua conditione vel exactione gravare, aut retardare; sed sine ulla pactione eidem personæ prænominatas ecclesias a sua manu dent, et sacramento fidelitatis accepto, ad donum altaris suis litteris ac testibus conducant. Quod si quis constitutionem nostram aliquando labefactare et violare tentaverit, et te invito aliquam personam in sæpeditis ecclesiis intruserit, offensam Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Remacli in tremendo iudicii die incurrat.

Actum est Stabulaus anno Dominicæ Incarnationis 1155, regnante domno Lothario tertio Romanorum rege, Alexandro in Leodio præsule.

Testes de fratribus sunt, Warnerus decanus, Rodulfus custos, Heribrandus cellerarius, Hozelo cantor; de laicis vero, Nicolaus de Longia, Adlardus frater ejus, Widericus de Villa, Widericus Albus, Widericus Niger, Anselmus villicus et alii multi.

## VI.

*Charta Stabulensium monachorum. — Villam Bovianicum, in qua tempore persecutionis Danorum latuerat S. Remacli corpus, ad nihilum redactam, Wibaldo abbati restaurandam concedunt.*

(Anno 1156.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Fratres Stabulensis cænobii tam futuris quam præsentibus.

Sicut ad prælatorum discretionem pertinet subditorum necessitatibus studiose ac viriliter subservire, ita nihilominus condecet subditos prælatorum honestæ et utili voluntati assensum sine mora præbere. Tuæ igitur religiosæ petitioni, pater Wibalde abbas, de villa nostra Boviniaco, quæ ad vestiarium nostrorum pertinet, satisfacimus, ut quia tempore persecutionis Danorum sanctum et venerabile corpus sancti Patris et patroni nostri Remacli in eadem villa quiete latuit, quæ nunc in solitudinem redacta et

(218) Azo abbas fuit monasterii S. Urgidii Monte publico extra civitatem Leodium, ordinis canonicorum regularium S. Augustini, quod monasterium funda-

A absque habitatore facta est, tu sicut universa, quæ ad recolendam sancti Patris nostri memoriam pertinent, singulari desiderio et honore foves et amplecteris, sic eandem villam ob honorem ejusdem sancti Patris nostri restaurare et reædificare disponis. Concedimus igitur tibi præfatum villam cum omnibus suis appendiciis, acquisitis vel acquirendis, ut omni tempore vitæ tuæ in omni statu vel ordine apud nos sive alias positus, pæce vel adversitate tua, eam secundum tuam propriam utilitatem libere ordines et disponas, et fructu ipsius pro voluntate tua utaris, hac conditione interposita, ut eandem villam tibi non liceat oppignorare, vel feodo, vel commutatione aliqua sine nostra communi astipulatione possis alienare. Post obitum vero tuum ipsa villa cum omni augmento et melioratione sua, cum omni fructu et præsentis et futuro ad nostrum vestiarium, sicut et antea fuit, sine ulla abbatum contradictione revertetur. Et ut firma et inconvulsa stabilisque hæc pactio queat permanere, in communi nostro capitulo omnium consensu per volumen Regulæ beati Benedicti manu domni Warneri decani, ipsam villam tibi dedimus, et præsentis scripto confirmamus, et harum conditionum violatores in tremendo Dei iudicio terribili anathemate condemnamus.

Acta sunt hæc Stabulaus in capitulo, anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, indictione XIV.

## VII.

C *Diploma Wibaldi abbatis Stabulensis pro Azone abbate de Monte publico. — Ecclesiam de Heran ei sub annuo censu concedit.*

(Anno 1156.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, WIBALDUS, Dei misericordia Stabulensis ecclesiæ abbas, dilecto fratri et religioso coabbati suo AZONI (218) de Monte publico in Leodio, ejusque successoribus in perpetuum.

Si villicus ille evangelicus ore Domini de mammona iniquitatis laudatus est qui fraudem fecisse visus est, et multo magis nos quibus Deus Ecclesiæ suæ dispensationem credidit, et de fidelium oblationibus pietatis opera exercere possumus, ad veræ laudis nomen et retributionem tendere debemus.

D Idcirco his et similibus exemplis commonitus, si qua ex rebus ecclesiæ nostræ indigentibus ecclesiis sine damno, sine diminutione possessionum nostrarum impartiri possumus, prompta voluntate et hilariter manu facere volumus. Quapropter, venerande frater, concedimus tibi, et per te tuis successoribus, in perpetuum ecclesiam de Heran pro LX et V solidis Leodiensium denariorum singulis annis in Ecclesia nostra solvendis, cujus summæ mediæ partem in Nativitate S. Joannis Baptistæ infra octavas, alteram vero in Natali S. Lamberti infra octavas persolves. Ea sane conditione, ut sicut tu præsen-

torem primum habuit Beringerum abbatem S. Laurentii, ut constat ex Wibaldi abbatis epistolis infra edendis.

ialiter more cæterorum investiendorum in nostro, id est in Stabulensi capitulo, donum et investituram ejusdem Ecclesiæ de manu nostra accepisti, et nobis sive Ecclesiæ nostræ sacramentum fidelitatis jurasti, ita loci cui succedentes sibi provisores nobis sive nostris successoribus idem facientes, eandem ecclesiam jure et consuetudine nostræ Ecclesiæ accipiant. Statutum est etiam communi totius capituli assensu, ut ab hodierna die et deinceps successores tui in suo introitu relecto præsentis chartæ in præsentia fratrum privilegio, præfatae ecclesiæ donum sub præscripta conditione et pacto, nulla interposita exactione, vel pretio, sive munere suscipiant, ea cum ratione, ut exinde omnem consuetudinem cæterorum investitorum nobis sive nostris successoribus tam in judiciis super pares suos promovendis quam in provincialibus synodis nobiscum adeundis exsolvant. Concessimus quoque tibi ut ejusdem ecclesiæ fructum, prout utilius potes, usibus et commodo fratrum tuorum aptes, salvo tamen in omnibus episcopali jure. Tu etiam et successores tui quæcunque ad episcopalem sive synodalem justitiam, vel servitium, vel usus ecclesiæ pertinent, sine nostro supplemento exsolves. Cæterum si quid de præscriptis conditionibus per te vel per tuos turbatum, vel immutatum, vel irritum fuerit, vel si prænominatam pecuniam constitutis diebus solvere neglexeris, postquam a nobis per nostros clericos investitos usque tertio commonitus fueris, nisi ex jure et justitia neglectum corrigere et legibus componere volueris, ecclesiæ et omni ejus beneficio sine omni recuperatione carebis. Verum utcunque res sese futuris temporibus mutant, cum nos tibi hanc ecclesiam, ut prætaxatum est, concessimus, duæ portiones decimationis ad vestiarium fratrum nostrorum pertinebunt, tertia ad præbendam presbyteri ejus ecclesiæ.

Actum est hoc anno sub Incarnatione Domini 1136, indictione xiv, in præsentia domni Wibaldi abbatis anno ordinationis suæ sexto, regnante domno Lothario tertio Romanorum imperatore Augusto, Alberone electo in Leodio.

Testes sunt de fratribus Warnerus prior, Arnulfus præpositus, Elleboldus cellerarius, Ceno camerarius, et omnis ejusdem loci congregatio; de laicis vero Anselmus, villicus, et frater ejus Adelardus, Albricus et frater ejus Condricus, Ebroinus, Erchempertus, Franco de Francorchamp, et alii ecclesiæ multi filii.

### VIII.

*Diploma Lotharii imperatoris Wibaldo abbati concessum. — Monasterium sub sua suscipit protectione, omniaque illius privilegia confirmat.*

(Anno 1136.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, Lotharius, Dei gratia Romanorum imperator Augustus, Wibaldo Stabulensi abbati, suisque successoribus.

Cum universis Jesu Christi Ecclesiis imperialis

A providentiæ cura deesse non debeat, tamen, secundum apostolicam institutionem, qua domesticis fidei maxime jubemur bonum impendere (*Gal. vi*), eis Ecclesiis auxilii nostri suffragium impensius exhibere debemus, quæ sub nostræ provisionis tuitione consistunt, et pro nostro et totius imperii statu speciali quodam studio orare non desistunt. Neque vero minoris gratiæ est constructa reformare quam nova ædificare. Unde noverit omnium fidelium nostrorum, tam futuræ quam præsentis ætatis, industria quod nos, venerande abba Wibalde, fidelitatis tuæ constantiam et labores, quos nobiscum in administratione imperii nostri perfers, pensantes Ecclesiam tuam in omnibus defensare et privilegiis imperialibus munire decrevimus. Quæcunque igitur ecclesiæ tuæ, id est Stabulensi a regibus Sigiberto, Hidrico, Clodoveo, Dagoberto, seu cæteris qui constructores fuerunt præfati loci, data sunt, sive ab imperatoribus Carolo, Ludovico, et tribus Ottonibus, Cuonrado etiam et quinque Henricis, et cæteris fidelibus, qui eidem ecclesiæ aliqua bona contulerunt, confirmamus et corroboramus. Habeant itaque monachi ejusdem loci liberam potestatem eligendi abbatem, secundum Regulam S. Benedicti et formam canonum, ita ut utraque monasteria, id est Stabulaus et Malmundarium, semper sub unius abbatis regimine consistant. Et quia in eorum principali, id est Stabulaus, beatus Remaclus sepulturæ locum sibi elegit, semper apud Stabulaus electio fiat, ea præponderante ratione, ut de conventu Stabulensis Ecclesiæ, idonea persona, si inventa fuerit, primo assumatur. Quod si minime, quod non credimus, ex eo loco promoveri aliquis potuerit, tunc primum ex Malmundariensi, vel ex alieno loco apta persona requiratur. Quidquid hactenus quiete et inconyulse possederunt, quidquid per concambia mutaverunt, immobiliter eos possidere decernimus. Statuimus etiam ut unum tantum advocatum habeant, qui, si secundum a se instituere voluerit, bannum a nobis accipere debet. Qui advocati in curtibus ejusdem Ecclesiæ neque mansiones, neque hospitia debent habere, et in omnibus placitis abbatis, nec adesse, nec aliquod jus exigere debent, nec precarias facere, nec paraveredos sumere, nec freda, nec paraturas, nec redibitiones exposcere, nullam prorsus exactionem facere. Sed si ab abbate ob necessariam causam fuerint invitati, in eis duntaxat causis, quas abbati correxerint, tertiam partem accipient, neque in his rebus quas eadem Ecclesia adhuc acquireret, aliud quam prædictum est jus nunquam obtineant. Hoc etiam secundum antiquam constitutionem confirmamus, ut abbates nullam expeditionem, nullum exercitum, nulla arma, nullam pro eis redemptionem, vel comteatum unquam nobis vel inissis nostris exhibeant. Sed advocatus, qui a nobis et ab ipso abbate beneficium propter hoc ipsum habet, sine supplemento abbatis vel omnium suorum diligenter exsolvat, hoc quoque in eodem loco abjudicari fecimus, et præsentis pri-

vilegio inviolabiliter sancimus, ne jure hæreditario A villici vel judices fiant, sed utrumque ministerium, id est villicaturæ et juveria, in potestate abbatis et gratia consistat, et eis jure et lege ministeriorum, et non jure beneficiorum diem et legem abbates constituent. Omnia vero beneficia quæ abbas Poppo secundus dedit lege sempiterna damnamus et irrita esse, juxta prædecessoris nostri imperatoris Heinrichi sententiam, decernimus. Villam Turnines, quæ ad mensam fratrum pertinet, quam eis Godefridus comes Namurcensis injuste abstulit, quamque judicio curiæ in manu imperatoris Heinrichi refutavit, jure proprio fratribus confirmamus, et villam Villippam, juxta privilegium ejusdem imperatoris, quam Warnerus de Kerpene injuste invaserat, fratribus æterna firmitate restituimus. Terminos banni leugæ, juxta decreta omnium antecessorum nostrorum, regum videlicet ac imperatorum, confirmamus, et banni nostri interpositione munimus. Quidquid eadem Ecclesia acquisivit, vel juste acquireret, scilicet villas, castella, prædia, mansos, mancipia, telonea, pontatica, itus vel reditus et omnia prorsus publica et regia vectigalia, sicut hactenus tenuit, ita deinceps sine ulla refragatione vel inquietatione firmiter possidere imperiali auctoritate sancimus. Et ut omnia rata et inconvulsa permaneant, et privilegio præsentis firmavimus et sigilli nostri insigniri fecimus.

*Signum domni Lotharii tertii Romanorum imperatoris invictissimi.*

Ego Ebenurdus vice Uderipi Uruloensis recognovi.

Data anno Dominicæ Incarnationis 1156, xvi Kal. Septembris, indictione xiv, anno vero regni regis Lotharii secundo, imperii tertio.

Actum Werzeborch in Christi nomine feliciter. Amen.

### IX.

*Diploma Lotharii II, imperatoris aureis characteribus exaratum bullaque aurea insignitum. — In gratiam Wibaldi abbatis, cujus fidelitatem et servitia laudat, omnes Stabulensis monasterii immunitates et possessiones confirmat, electionemque abbatis ex monasterio Stabulensi præ Malmundario, si dignus reperiatur, assumendi, jura advocatorum et eorum officia aliaque determinat.*

(Anno 1157.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, **LOTHARIUS** Dei gratia Romanorum imperator Augustus, **WIBALDO** Stabulensi abbati suisque successoribus in perpetuum.

Cum omnium Dei Ecclesiarum paci ac quieti et utilitatibus nostra imperialis sollicitudo ac potentia consulere debeat, tum maxime benignitatis et curæ nostræ studium circa eas Ecclesias invigilare oportere credimus, quæ ad imperium nostrum pertinent, et, ut ita dictum sit, nostro imperio cohærent, quæ etiam jugi et assiduo orationum suffragio nos et imperium nostrum adjuvant, et in temporalibus imperii administrationibus nostros et labores et expensas fideliter supportant. Quocirca Stabulense

monasterium a prædecessoribus nostris regibus et imperatoribus nobiliter constructum, et magnis possessionibus ampliatur, multisque privilegiis magnifice honoratum, et libertate singulari donatum, cum tanquam nostrum proprium arctius diligamus, et in omnibus juste opitulari velimus, præcipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis **Wibaldi**, qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus, cujus fides et devotio circa stabilitatem et honorem imperii nostri in hac Italica expeditione manifeste satis enituit, qui post multos labores et pericula, quæ pro nobis et nobiscum in administratione nostri imperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in monasterio Casinensi a fratribus ejusdem loci et universo populo violenta et admirabili prorsus electione in abbatem raptus, et ad honorem et firmitatem nostri imperii remanens, nostram celsitudinem petiit, ut Stabulense monasterium, cujus curam ipse non deposuerat, et res ad ipsum pertinentes nostro imperiali privilegio munire et confirmare dignaremur. Cujus petitioni piæ et rationabili facilem assensum præbentes, jam dictum Stabulense monasterium cum Malmundario et omnibus prorsus appendiciis, secundum instituta et præcepta regum Sigiberti, Dagoberti, Theoderici, Childerici et aliorum nec non imperatorum Caroli, Ludovici et trium Ottonum, Conradi quoque, et Heinrichorum quinque, in nostram tutelam suscepimus, ita videlicet ut nunquam liceat alicui regum vel imperatorum eandem abbatiam cum omni integritate et advocatia omnium possessionum ejus ullo alienationis modo scindere a regno, vel alium ei dominum imponere, vel alicui in beneficium aut in concambium dare, sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum et servitium inconvulsa stabilitate permaneat, et libertate sibi collata pacifice potiatur, nullum teloneum, nullum pontaticum, nullum transitum vel exitum, nullum denique publicum terra aquave vectigal, aut pensionem monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant, terminos banni leugæ, secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati et inscripti sunt, cum omni immunitate et comitatu suo, sicut hactenus eadem Ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat.

Sancimus etiam prædecessorum nostrorum more, ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis a Stabulensi nunquam divellatur aut separetur monasterio, secundum quod jam tertio tentatum est, sed judicio principum legitime cassatum, et imperatoriis privilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate, monachi utriusque loci Stabulaus in capitulum concorditer veniant, habeantque liberrimam facultatem secundum sancti Benedicti Regulam eligendi sibi abbatem, ea tamen præponderante ratione, ut quia beatus Remaclus utriusque Ecclesiæ constructor et primus abbas, Stabulaus quiescere, et locum illum Malmundario

sua sepultura et ordinatione abbatum præferre voluit, Stabulenses primam vocem in electione obtineant, et de Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, abbatem eligant. Quod si nulla ibidem idonea persona, quod fieri posse non credimus, inventa fuerit, potius a Malmundariensi conventu, quam ab extraneis abbas eligatur. Cæterum si inter se nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, liceat eis libere de alio quocunque regulari loco sine contradictione alicujus abbatem eligere, et a nobis vel successore nostro regni more investitum, a Leodiensi episcopo, cui nullum servitii genus, vel hospitium, seu prandium debet, consecrationem et monachorum suorum ordinationem sine pretio aut ulla exactione accipere. Advocatum a nostra manu accipiat, qui nobis exercitum et expeditionem, et quæ ad ipsam pertinent pro summa et debito sui beneficii faciat, abbate, et suis omnibus super hoc quiescente, et nullam pro hoc nobis aut ipsi advocato redemptionem aut supplementum præstante. Qui advocatus, si secundum a se advocatum ordinare voluerit, ille secundus bannum a nostra manu accipere debebit. Plures autem advocatos in ejusdem abbatiæ curtibus fieri nostro imperiali banno perpetua censura interdiciamus. Qui advocatus in curtibus et villis nullum hospitium, nullum placitum, nullam prorsus exactionem debet habere, non freda, non redhibitiones exigere, non precarias vel incisuras facere, non palefridos tollere, sed omnium rerum et culparum potestas et ordinatio, justitia et utilitas penes abbatem et monachos, et eos quos ipsi ordinaverint libere tota consistat. Ubi vero abbas cum suis ad justitiam faciendam non sufficerit, si advocatus petitione abbatis, quia aliter nunquam debet, venerit, tertiam portionem de his, quæ ex illa duntaxat justitia accrescent, habebit. Castellum Longiæ cum toto montis corpore et utrisque vallibus et comitatu, ad indominicatam abbatis manum et potestatem et ordinationem, cum omnibus beneficiis et casatis, qui ad eustodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare et pertinere decernimus, nec in ipso castello, aut in possessionibus ad ipsum pertinentibus, aliquam habitationem vel potestatem advocatum habere permittimus. Quidquid eadem Ecclesia munificentia regum aut imperatorum vel religiosorum Christianorum largitione obtinuit, tam in fundis quam ecclesiis, capellis, decimationibus et omnibus eorum appendiciis et commoditatibus, sicut hactenus possedit, sive illa quæ deinceps justis modis obtinere potuerit, parva vel magna, ubicunque locorum fuerint, sub nostræ tuitionis potestate immobiliter ei confirmamus, et maxime possessionem quam Aquisgrani eadem habet Ecclesia, id est domum indominicatam et capellam indominicatam et liberam et domos triginta in una parte viginti

(219) Et si secundus proprie hoc nomine imperator fuerit Lotharius, tertium nihilominus se nominat, quia tertius ex regibus Alemannis, Lotharii nomine insignitis, ipse ad imperium fuit assumptus, id quod

A quinque per ordinem et sine interruptione positas, scilicet a domo illa quæ fuit Cameracensis, episcopi usque ad fossatum in ea parte qua itur ad pontem Harduini, et in alia parte viæ ante præfatam capellam Sanctæ Aldegundis quinque domos, et sex bonuarios terræ ibidem circumquaque jacentes, et septem bonuarios in villa quæ dicitur Vals, et unum mansum in monte Hillini. Quæ omnia cum suis usibus et servitiis et censu libere ad Stabulensem Ecclesiam pertinere statuimus, nec liceat alicui nostrorum mariscalcorum vel principum in præscriptis domibus, nolente Stabulensi abbate, hospitium aut ullum servitium habere. Et quia inter nostros et Ecclesiæ Stabulensis ministeriales, de servitio quod Stabulensis annuatim debet Ecclesia, non conveniebat, dicentibus nostris per singulas fruges Ecclesiam quæcunque debere servitium; fidelibus vero Ecclesiæ econtra dicentibus septimo anno plenum et regale servitium debere, nos prædicti abbatis Wibaldi meritis, ejusque petitioni, cui contraire non possumus, in perpetuum concedimus et confirmamus, ut tam ipse quam sui successores viginti marcas aut viginti marcarum servitium singulis annis, si Aquisgrani venerimus, nobis aut nostris successoribus persolvat. Quod si vel Stabulaus vel in villas ad ipsum monasterium pertinentes nos aut successores nostros venire contigerit, aut triginta marcas aut triginta marcarum servitium exsolvet, nusquam vero nisi aut in domibus ipsius Cœnobii aut Aquisgrani præfatum servitium aut servitii redemptionem nobis vel successoribus nostris præstabit. Et quotiescunque nobis serviet de singulis clericis suis, qui matrices ecclesias tenent, quinque solidos, et a singulis villicis suis quinque solidos, et per singulos mansus Ecclesiæ duodecim denarios accipiet, nullis mansis pro alicujus beneficio vel pacto sive pignore, seu servitio ab hac pensione immunibus. Et ut hoc ratum inconvulsumque in omnia tempora maneat, hoc præceptum et propria manu signavimus, et aurea bulla insigniri fecimus.

Testes etiam qui adfuerunt subter annotari fecimus: Albero Treverensis archiepiscopus, Cuonradus Madeburgensis archiepiscopus, Meingoldus Merseburgensis episcopus, Albero Basiliensis episcopus, Albero Leodiensis episcopus, Andreas Trajectensis episcopus, Anselmus Halvelbergensis episcopus, Henricus Tullensis episcopus, Cuonradus abbas Vuldensis, Henricus dux Baviaræ et marchio Tussiar, Cuonradus, marchio de Witin, Meinfridus marchio, Fredericus marchio de Aniona et frater ejus Warnerus, comes Landulfus, Bucca Vitelli, comes Poppo, comes Adulphus, et alii multi barones Romani Imperii.

*Signum domni Lotharii III (219) Romanorum imperatoris invictissimi.*

in multis aliis chartis observatum deprehendimus; tametsi secundus Lotharius rex duntaxat, nunquam vero imperator exstitit.

Ego Ethardus vice Heinrici Ratisponensis episcopi et archicancellarii recognovi.

Ego Engelbertus monachus vice Bertulfi notarii scripsi.

Data anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo septimo, indictione prima, decimo Kalend. Octobris, anno vero regni regis Lotharii tredecimo, imperii quinto.

Actum Aquini in Campania, in Christi nomine feliciter. Amen.

## X.

*Charta Wibaldi abbatis Stabulensis. — Decimas de Femala Leodiensi Sancti Martini ecclesiæ concedit.*

(Anno 1138.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis.

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus quod, anno ordinationis nostræ viii, quidam Waltherus nomine, portionem possessionis et decimationis, quam in ecclesia de Femala habebat, in manus nostras reddidit: quam nos communi fratrum consilio et laicorum nostrorum, jure hæreditario possidendam fratribus ecclesiæ Beati Martini in Leodio concessimus, eo pacto, ut singulis annis duos denarios pro respectu ejusdem possessionis persolvant.

Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis 1138, C indictione prima, regnante domno Cuonrado II, Romanorum rege, Alberone II in Leodio præsule.

Testes de fratribus sunt, Warnerus decanus, Ebroinus, Robertus, Cuono, cum omni ejusdem Ecclesiæ conventu; de laicis vero, Anselmus villicus Stabulensis; Ebroinus, Gundricus, Henricus de Valle, Franco de Francorchamp, Godefridus de Beves, et alii multi Ecclesiæ filii.

## XI.

*Diploma Conradi imperatoris. — In gratiam Wibaldi abbatis omnia monasterii privilegia, sed præcipue Lotharii bullam auream confirmat.*

(Anno 1138.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, CONRADUS, divina favente clementia Romanorum rex.

Cum omnium Dei ecclesiarum paci ac quieti et utilitatibus nostra regia sollicitudo, ac potentia consulere debeat, tum maxime benignitatis et curæ nostræ studium circa eas Ecclesias invigilare oportere credimus, quæ ad regnum nostrum pertinent, et, ut ita dictum sit, nostro regno cohærent, quæ etiam jugi et assiduo orationum suffragio, nos et regnum nostrum adjuvant, et in temporalibus regni administrationibus nostros et labores et expensas fideliter supportant. Stabulense itaque monasterium a prædecessoribus nostris regibus et imperatoribus mobiliter constructum, et magnis possessionibus

A ampliatum, multisque privilegiis magnifice honoratum et libertate singulari donatum, cum tanquam nostrum proprium arctius diligamus, et in omnibus juste optulari velimus, præcipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis Wibaldi qui eidem cœnobio regulariter præest, præcipuo amore ac familiaritate nostra dignam judicamus; cujus fides et devotio circa stabilitatem et honorem regni nostri, et in expeditione Italica sub prædecessore nostro imperatore Lothario, et in nostra ad regiam gloriam ordinatione, satis enituit. Ejusdem itaque abbatis petitione, cui nihil justum negare volumus, jam dictum Stabulense monasterium, cum omnibus suis appendiciis, secundum instituta regum Sigeberti, Dagoberti, Clodovei, et aliorum, nec non imperatorum Caroli, Ludovici, et trium Ottonum, ac divæ recordationis Conradi imperatoris avi nostri, et trium Henricorum, in nostram tutelam suscipimus, ita videlicet ut nunquam liceat alicui regum vel imperatorum eandem abbatiam cum omni integritate, et advocatiam omnium possessionum ejus, ullo alienationis modo scindere a regno, vel alium ei dominum imponere, vel alicui in beneficium aut in concambium dare; sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum et servitium inconvulsa stabilitate permaneat, et libertate sibi collata pacifice potiatur. Nullum teloneum, nullum pontaticum, nullum transitum et exitum, nullum denique publicum terra aquave vectigal, aut pensionem, monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant. Terminos banni leugæ, secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati et inscripti sunt, cum omni immunitate et comitatu suo, sicut hactenus eadem Ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat. Sancimus etiam, prædecessorum nostrorum more, ut Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis, a Stabulensi monasterio nunquam divellatur, aut separetur, quod jam tertio tentatum est, sed judicio principum legitime cassatum, et imperatoris privilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate, monachi utriusque loci Stabulaus in capitolium concorditer conveniant, habeantque liberrimam facultatem, secundum sancti D Benedicti Regulam, eligendi sibi abbatem, ea tamen præponderante ratione, ut quia beatus Remaclus utriusque ecclesiæ constructor et primus abbas, Stabulaus quiescere, et locum illum Malmundario pro sua sepultura præferre voluit, Stabulenses primam vocem in electione obtineant, et de Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, abbatem eligant. Quod si nulla ibidem persona (quod fieri posse non credimus) inventa fuerit, potius a Malmundariensi conventu, quam ab extraneis abbas eligatur. Cæterum, si inter se nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, liceat eis libere de alio quocunque regulari loco, sine contradictione alicujus, abbatem eligere, et a nobis vel successore nostro regni more investitum, a Leodiensi episcopo, cui



nullum servitii genus debet, consecrationem et monachorum suorum ordinationem accipere. Advocatum a nostra manu accipiat, qui nobis expeditionem, et quæ ad ipsam pertinet, pro summa et debito sui beneficii faciat; abbate et suis omnibus super hoc quiescente, et nullam pro hoc nobis aut advocato redemptionem aut supplementum præstante. Qui advocatus, si secundum a se advocatum ordinare voluerit, bannum a nostra manu accipere debet. Plures autem advocatos in ejusdem abbatiæ curtibus fieri nostro regio banno perpetua censura interdiximus. Qui advocatus, in curtibus et villis nullum hospitium, nullum placitum, nullam prorsus exactionem debet habere, non freda, non redhibitiones exigere, non palafidos tollere, sed omnium rerum et culparum potestas et ordinatio, justitia et utilitas penes abbatem et monachos et eos quos ipsi ordinaverint, libere tota consistat. Ubi vero abbas cum suis ad justitiam faciendam non suffecerit, si advocatus petitione abbatis, quia aliter nunquam debet, venerit, tertiam portionem de his quæ ex illa duntaxat justitia accrescent, habebit. Castellum Longiæ cum toto montis corpore, et utrisque vallibus, ad indomincatam abbatis manum et potestatem et ordinationem cum omnibus beneficiis et easatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare et pertinere decernimus; in cujus valle mercatum et publicas nundinas, datis ad vendendum chirôtecis nostris, auctoritate regia institimus. Quidquid eadem ecclesia munificentia regum aut imperatorum, vel religiosorum christianorum largitione obtinuit, tam in fundis quam ecclesiis et omnibus eorum appendiciis et commoditatibus, sicut hactenus possedit, sive illa quæ deinceps justis modis obtinere potuerit, parva vel magna, ubicunque locorum fuerint, sub nostræ tuitionis potestate immobiliter ei confirmamus, et præcipue villam *Tornines*, quam a divæ memoriæ imperatore *Ottone* præfatæ ecclesiæ redditam *Godefridus* Namurcensis comes invaserat, sed a supradicto abbate in euria nostra *Coloniæ* super hoc proclamatus, iudicio principum nostrorum, et præcipue *Salicorum*, in manus nostras reddidit et refutavit, nosque in manu abbatis per præsentis privilegii paginam ad usus fratrum delegavimus. Villam quoque *Vilippam* tempore avunculi nostri piæ recordationis imperatoris *Heinrici* injuste ablatam supradicto monasterio reddimus. Villam *Sprimont* cum ecclesia et decimationibus et terris ad ipsam ecclesiam pertinentibus, sicut dux *Fredericus* pro anima sua ecclesiæ tradidit, in perpetuum confirmamus. Quidquid prædecessor noster imperator *Lotharius* prænominato fidei suo et nostro, abbati in monte *Cassino* ad honorem regni remanenti, per auream bullam concessit, nos quoque stabiliter ei concedimus et confirmamus. Et ut hoc ratum, inconvulsumque in omnia tempora permaneat, hoc præceptum sigilli nostri impressione et propriæ manus insignivimus; testes quoque qui adfuerunt subter annotari fe-

imus, quorum nomina : sunt hæc *Theodevinus* Sanctæ *Rufinæ* cardinalis episcopus et apostolicæ sedis legatus, *Arnoldus* *Coloniensis* archiepiscopus, *Albero* *Trevirensis* archiepiscopus, *Albero* *Leodiensis* episcopus, *Andreas* *Trajectensis* episcopus, *Embrico* *Werceburgensis* episcopus, *Warnerus* *Monasteriensis* episcopus, *Udo* *Osenburgensis* episcopus, *Nicholaus* *Cameracensis* episcopus, *Walerannus* dux, *Heinricus* filius ejus, *Wilhelmus* comes *Palatinus*, *Godefridus* de *Ascha* qui iudicium fecit de *Tornines* †. *Godefridus* de la *Rotza*, *Heinricus* frater ejus, *Theodericus* iudex *Aquensis*.

Signum *Conradi* secundi *Romanorum* regis invictissimi.

Ego *Arnoldus* cancellarius vice summi cancellarii *Maguntini* scripsi et subscripsi.

Anno *Dominicæ* *Incarnationis* 1138 *indictione* prima.

Datum *Coloniæ* tertio idus *Aprilis*.

## XII.

*Charta Wibaldi abbatis.—De restauratione Castellii, et translatione villæ Longiæ.*

(Anno 1138.)

In nomine sanctæ et individuæ *Trinitatis*, *Wibaldus* *Dei* miseratione *Stabulensis* abbas indignus, suis successoribus, cunctisque *Stabulensis* cœnobii fidelibus tam futuris quam præsentibus.

Misericordiæ et miserationum *Dei* quæ a sæculo sunt reminiscetes, et pro gratia nobis collata *Deum* in omnibus suis beneficiis magnificantes, mirabilem eum laudamus et prædicamus, qui nos humiles et indignos ad *Stabulensis* cœnobii regimen promovit, et intra ipsius monasterii domum investitura regia per bonæ memoriæ domnum imperatorem *Romanorum* *Lotharium* tertium, et sacerdotali benedictione per domnum *Alexandrum* *Leodiensem* episcopum ad abbatiæ prælationem provexit. Horum igitur et omnium in eadem ecclesia collatorum nobis divinitus recolentes beneficiorum, honori loci et utilitati tam futurae quam præsentis pro nostra capacitate et facultate diligenter invigilavimus, sed impediente maligna temporis et frequentibus regiis servitiis, laboribusque et expensis assidue occupati et fatigati, quantum desideravimus, ad operis efficaciam minime perducere valuimus. Castellum *Longiæ*, quod ad tuitionem totius terræ nostræ ab antecessoribus nostris, viris utique prudentibus et religionis ædificatum est, et necessariis custodibus ac vigiliis, datisque multis et magnis possessionibus diligenter ordinatum, quoniam fere totum collapsum erat, et raris inhabitatoribus incolabatur, et crescentibus super terram malis et infidelitate hominum, de prodicione timebatur, communi fratrum et hominum nostrorum consilio, quamvis opibus impares, totum tamen montis corpus ædificare aggressi sumus, partim nova instaurando, partim vetera resarciendo. In ea itaque montis parte, quæ ad aquilonem respicit, nostris propriis expensis turrim novam ædi-

ficavimus, datis pro annuo beneficio c solidis, dedimus eam ad servandum Nicholao ministeriali nostro tanquam nostram propriam, nullo prorsus feodo obligatam, accepto ab ipso per sacramentum et obsides sufficienti securitate, quod ad nostram voluntatem et jussionem sine dolo et fraude nobis eandem turrim redderet, nec contra nostram et successorum nostrorum regulariter ordinatorum voluntatem, eam aliquando retineret. Hoc quoque in eisdem conditionibus firmatum est, ut hæres ipsius aut probæres qui in eodem beneficio et custodia illi succederet, de propria familia ecclesiæ esset, nec alterius conditionis vir aut mulier ad custodiendam domum illam jure aliquo hæreditatis accederet. Verum quoniam solitudo quædam erat circa castellum et ædificia, hæc ad necessarium ornatum et munitionem et comeatum victualium non sufficiebant, et quia villa, quæ Longia dicebatur, juxta rivi fluentum longe dispersa, et a castello remota omnium injuriis patebat, visum nobis est eandem villam sub castello in valle orientem versus collocare. sicque nundinis et foro instituto castellum decore, munitione, custodia, necessariis comeatibus adjuvare. Cæterum tota villa hominibus nostris aut hæreditate aut allodio competeat, comitatu tantum et banno ad nos pertinente, sed et partem montis, et totam vallem, quæ nunc ædificata est hæreditaria possessione suam esse dicebant; unde non modico labore et aliquibus expensis, omnibus expeditis obstaculis, vallem cum toto montis corpore ab omnium dominatione et reclamatione absolutam et liberam ad nostram et successorum nostrorum manum recepimus. Sicque dimensa fori platea, quæ trecentos fere pedes habet in longitudine, et plusquam sexaginta in latitudine, positisque quatuor limitibus, reliquum montis et vallis ad habitandum apte distribuimus, impetrata emissionem habitatoribus, ut cum licentia dominorum suorum transmigrarent. Quæ omnia privilegio domui nostri inclyti et victoriosissimi Romanorum regis Cuonradi secundi confirmari Colonia in curia fecimus, acceptisque pro initiandis banno regio in foro nundinis ad vendendum suis chirotecis. Et ut majori frequentia locus idem semper incoletur, dedimus habitatoribus omnem terram, quam vel domibus et aliis ædificiis, vel hortis, seu aliquo culturæ modo occuparent in æternam proprietatem, ut nullum inde censum, nullum servitium, nullam prorsus justitiam alicui hominum persolvant; sed libere possideant, utantur, fruantur, vendant et commutent, nullo contradicente, et quidquam pro hoc exigente. Quicumque de nostris hominibus qui ad altare principale, vel ad alia ecclesiarum nostrarum altaria, vel ad curtes nostras quæ nondum feodo obligatæ sunt, et ad nos quocumque modo pertinent, ibidem habitaverit, liber erit, id est neque ullum censum, aut redemptionem, nullam pro defuncta manu justitiam vel summam, si

A uxorem ad aliam ecclesiam pertinentem habuerit, exsolvet; nullum glandaticum, nullum teloneum, aut transitum, aut precariam, vel paratam nobis aut alicui advocato aut vicecomiti seu misso regio dabit, sed omni libertate potiat. Verumtamen, si servus alicujus in eodem loco habitare voluerit, omnes consuetudines et justitias suas ei dabit, et quascunque possessiones . . . . . exceptis duntaxat præscriptis mansis, omnem ei . . . . . sine contradictione exhibebit. Nobis autem et successoribus nostris . . . . . et regulariter ordinatis, hæc tantummodo servitia facient, hospitia nobis et nostris præstabunt, domus in quibus hospites non erunt . . . . . nobis præstabunt, qui vero carnes aut panem, seu cervisiam vendent, credent nobis XII denarios, et venditor vini v solidos, ultra quos nobis credere ex justitia non habebunt. Ad nullum prorsus . . . . . nisi pro his quæ ad comitatum pertinent, et pro rixa publica . . . . . pro dolo et fraude et falsitate in mensuris et ponderibus manifeste . . . . . pro injustitia alicui proclamanti illata, pro pecunia alicui reposcenti negata. Quarum omnium culparum compositio LXX solidorum erit, exceptis duabus . . . . . nulli successorum nostrorum liceat eandem villam in feodum dare, aut oppignorare, aut commutare, aut ullo modo alienare, vel alias consuetudines, sine consensu fratrum et ministerialium nostrorum et ipsorum habitatorum imponere. Quod si quis facere præsumpserit, cujuscunque sit ordinis aut dignitatis, anathema sit.

Actum est publice in monasterio Stabulensi nonis Junii, die Dedicationis ecclesiæ, et interposito nostro et omnium fratrum nostrorum multorumque qui ad idem festum convenerant, sacerdotum anathemate, confirmatum anno Dominicæ Incarnationis 1138, qui est primus ordinationis domni CHONRADI II Romanorum regis invictissimi, indictione prima. Walerano duce Lotharingiæ quæ est Mosellanorum, Godefrido de Rupe advocato Stabulensi, Friderico de Asca subadvocato, qui et ipsi confirmaverunt, anno nostræ ordinationis VIII. Et ut hoc verius credatur, et per succedentia tempora ratum inconvulsumque teneatur, hanc eandem chartam nostro proprio et communi Ecclesiæ sigillo insigniri fecimus, et fratrum nostrorum nomina subter adnotavimus.

*Signum domni Wibaldi abbatis, Signum Warneri decani. Sign. Ebroini. Sign. Roberti. Sign. Cuononis. Sign. Engonis. Sign. Emmonis, Sign. Anselmi. Sign. Warneri. Sign. Gisleberti.*

Testes sunt de familia Ecclesiæ, Nicolaus de Longia et Adelardus frater ejus, Reinerus et Heribrandus de Longia castellani, Adelardus et Widericus de Ville, Widericus Albus et Widericus Niger de Rona, Balduinus de Loregeis, Arnulfus et Nicolaus de Holdrichamp, Anselmus villicus Stabulensis, Ebroinus, Gundricus, Erchenbertus, Erleböldus, et alii multi Ecclesiæ filii.

## XIII.

*Diploma Alberonis episcopi Leodiensis. — De possessione Turnines auctoritate pontificia et regia Stabulensi monasterio restituta.*

(Anno 1159.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. ALBERO divina præordinante clementia Leodiensis Ecclesiæ episcopus, licet indignus, dilecto fratri WIBALDO Stabulensis Ecclesiæ venerabili abbati, suisque successoribus in perpétuum.

Officii nostri sollicitudo desiderat ut loquentes veritatem cum proximo nostro, non agamus dolum in lingua nostra, sed quæ vidimus et audivimus, hoc sine ullius acceptione personæ testemur. Quocirca calamitati et laboribus Stabulensis Ecclesiæ paterno affectu plurimum compatientes, quæ de possessione sua Turnines nobis præsentibus et pro facultate nostra collaborantibus egerit, præsentis scripto nostro ad posterorum nostrorum memoriam transmittere curavimus. Igitur cum Stabulensis Ecclesia, ex privilegio divæ memoriæ imperatoris Ottonis primi, haberet ne villa Turnines eidem monasterio jure antiquo pertinens, ullius prorsus auctoritate personæ in beneficium dari posset, sed victui et quotidianis expensis Stabulensium fratrum perpetuo deserviret, cumque reclamante fratrum conventu præfata villa contra sacrorum canonum instituta, concessione quorundam abbatum de præbenda fratrum ablata esset, domnus Wibaldus, abbas Stabulensis avunculum nostrum Namucensem comitem Godefridum qui eandem villam injuste habebat, in curia domni nostri Cuonradi secundi serenissimi Romanorum regis proclamavit, et prænominatam villam iudicio curiæ recepit. Aliquanto vero plus tempore germanus noster Eustachius Leodii advocatus sæpefatam villam Turnines per vim occupavit, hoc scilicet rationis præterdicens, quod Wigerus de Woronna, cujus filiam uxorem duxerat, a prædicto avunculo nostro Namucense comite, eandem villam in beneficium acceperat. Verumtamen nos, evidentis justitiæ ratione commoti, tum ex admonitione reverentissimi Patris nostri papæ Innocentii et jussione piissimi regis nostri Cuonradi secundi, annitentibus sedulo pro Stabulensi Ecclesia domno metropolitano Arnaldo sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopo, nec non Alberone Trevirensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, non peperimus carni et sanguini, sed eo usque fratrem nostrum ecclesiastica auctoritate coegimus, ut villam Turnines cum omnibus inde ablatiis Stabulensi monasterio restitueret, facta insuper coram nobis promissione, quod de eodem bono nullam deinceps violentiam inferret. Quod nos episcopali banno nostro firmavimus, et petitione fratrum nostrorum majoris Ecclesiæ

A canonicorum per præsentem paginam memoriæ longiori commendavimus.

Huic rei interfuerunt prælati et canonici majoris ecclesiæ, Fredericus præpositus et archidiaconus, Elbertus archidiaconus et præpositus ecclesiæ Sancti Martini, Dodo archidiaconus et præpositus Sancti Bartholomæi, Reinerus archidiaconus et præpositus Sancti Pauli, Alexander archidiaconus et custos, Joannes archidiaconus et præpositus in Eche, Reinzo decanus et abbas civitatis, Elbertus abbas Sancti Jacobi, Wazelinus abbas Sancti Laurentii, Gislebertus abbas Sancti Hugberti, Theodericus abbas Walciodorensis, Waltherus Flonensis abbas: interfuit etiam confrater noster Albero Viridunensis episcopus, et Odo abbas Sancti Remigii Remensis: nobiles et liberi homines, comes Lambertus, Henricus du Rupe, Ebaldus de Florines, Wilhelmus de Cimaco, Sthephanus de Meanz, Gozuinus de Falconismonte, et alii multi.

Actum est hoc publice Leodii in capitolio Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti, anno Dominicæ Incarnationis 1159, indictione III, regnante domino Cuonrado II, anno regni eius II ordinationis autem nostræ II (220).

## XIV.

*Diploma Conradi II imperatoris Wibaldo abbati concessum. — Varia Stabulensis monasterii privilegia confirmat.*

(Anno 1140.)

C In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis., Cuonradus II, divina favente clementia Romanorum rex.

Si fidelium nostrorum justas et honestas petitiones clementer exaudimus, et Dei omnipotentis gratiam, qui pauperem facit et ditat, humiliat et sublimat, nobis conciliamus, et fidelium nostrorum benevolentiam et devotionem circa nos vehementius excitamus. Proinde notum facimus omnibus fidelibus Christi et nostris, videlicet tam futuris quam præsentibus, qualiter fidelis et charissimus noster venerabilis abbas Stabulensis Ecclesiæ Wibaldus, cujus studium et labor jampridem in nostro et regni servitio fideliter enituit, nostram præsentiam lacrymabiliter adiit, conquerens inter alias molestias, quas in revelanda ecclesia sua, quæ diu multumque corruerat, patiebatur, hoc sibi plurimum nocere, quod ministeriales sui, curtium suarum ministeria, id est judiciarias et villicationes per feodum et hæreditario jure vellent obtinere. Unde fiebat ut ordinatio abbatis et præpositorum inefficax esset, et coloni ecclesiæ ad inopiam redigerentur. Comuni itaque principum nostrorum et generalis curiæ nostræ, quæ Leodii celebrabatur, consilio, obtentur etiam ejusdem venerabilis abbatis Wibaldi, judicari fecimus, quod nullus iudex, qui vulgo scultetus dicitur, nullus villicus qui vulgarijter major vocatur,

Reinzo decanus, et totum capitulum: quam proinde edere supervacaneum ducimus.

(220) Similem chartam eadem continentem dederunt Fredericus, Leodiensis Ecclesiæ præpositus,

ministerium suum diutius habere et retinere valeat, nisi quoadiu cum gratia abbatis deservire queat, sed quotiescunque jussus fuerit reddere, sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hæreditatem repetat, sane ut a nobis, itemque a prædecessoribus nostris sæpefatum est, hoc perpetua stabilitate Stabulensi Ecclesiæ concedimus et confirmamus, ut nullo unquam tempore eadem abbatia in beneficium aut concambium alicui omnino personæ donetur, sed in defensione et ordinatione et mundiburgio regum vel imperatorum semper consistens, propria et antiqua libertate potitur, nulli mortalium servitium aut subjectionem, nisi nobis, nostrisque successoribus regibus videlicet vel imperatoribus unquam præstitura. Habeant autem monachi liberam facultatem eligendi quemcumque voluerint abbatem, secundum regulam Sancti Benedicti, ita videlicet ut monachis Malmundariensibus in capitulum Stabulaus convenientibus, Stabulenses primam in consilio et electione vocem et auctoritatem obtineant, et ex Stabulensi conventu, si digna fuerit inventa persona, principaliter et sine contradictione Malmundariensium, eligant. Hoc quoque immobiliter statuimus, ut Malmundarium nunquam a Stabulaus separetur, sed sicut a principio factum est, subjectum velut suo majori Malmundarium, ab uno abbate inseparabiliter regatur. Et quoniam advocatorum violenta rapacitas multis datis iudiciis ac privilegiis, vix exerceri potest, Stabulensi Ecclesiæ stabili firmitate concedimus et præcipimus ut advocatus in curtibus ejusdem ecclesiæ, sive in ministerialibus, vel in tota familia, nullam justitiam, nullum placitum, nullum hospitium, nullam precariam, nullam prorsus exactionem vel servitium habeat, sed omnis justitia, omnes lites, omnis causarum et placitorum utilitas ad abbatem, et ubi ipse voluerit, pertineat. Si vero per se abbas, aut per suos aliquid corrigere non potuerit, ad invitationem abbatis advocatus sine mora vel contradictione veniat, et tertiam partem de his, quæ ex illa duntaxat justitia accreverit, accipiat. Advocatus expeditionem et arma pro summa et debito sui beneficii nobis successoribusque nostris procuret, abbate et ministerialibus et tota familia, atque omnibus ejusdem ecclesiæ possessionibus super hoc liberis, et nullum nobis vel advocato supplementum præstantibus. Hoc quoque quod prædecessor noster imperator Lotharius III de servitio Stabulensis Ecclesiæ diffinivit, et per auream bullam confirmavit, nos immobiliter statuimus, ut nusquam locorum nisi Aquisgrani servitium solvat, ubi post singulas messes, si illuc venerimus, viginti marcas argenti, vel viginti marcarum servitium exhibere debet. Porro in ipsis ministeriis vel in villis ad monasterium pertinentibus, xxx marcas aut xxx marcarum servitium præstabit. Cum autem serviet abbas, unaquæque matrix ecclesia, quæ sui juris et ordinationis est, solvet quinque solidos, et unusquisque mansus duo decim denarios ejus monetæ, quæ in

A comitatu illo datur, ubi possessiones sitæ sunt, nullis ecclesiis, nullis mansis, pro aliquo pacto aut beneficio, aut vadimonio, ab hac pensione immunibus: non enim regni servitium aliquo alienationis modo obligari vel retardari potest aut debet. Castellum Longiæ cum oppido, quod idem venerabilis abbas Wibaldus sub monte construxit, ad abbatibus manum et potestatem in perpetuum pertinere decernimus, ita videlicet, ut advocatus nullam justitiam, vel potestatem, sive mansionem illic habeat, nec liceat ulli abbatum inde quidquam in beneficio, vel concambio, vel præstaria, vel pignore, alicui mortalium concedere. Terminos hanni leugæ, sicut in antiquis privilegiis continentur, rata possessione confirmamus, ut nullus dux aut marchio, nullus comes aut vicecomes, nulla sæcularis vel ecclesiastica magna parvave persona, in eis aliquam potestatem vel justitiam sive iudicium exerceat, nulla persona quæ ibidem habitet, alium quam abbatem dominum habeat, nec pro imparibus nuptiis, aut pro sanguinis effusione, vel pro defuncta manu, alii nisi abbati respondeat. Possessiones, quas proximis decem annis quiete possedit, cum omni sua integritate et usu, præfatæ Stabulensi Ecclesiæ confirmamus. Et ut hoc ratum inconvulsumque per omnia tempora maneat, præceptum hoc conscribi et sigillo nostro insigniri præcepimus, manuque propria, ut infra apparet, corroboravimus.

C Huic etiam nostræ confirmationi testes idoneos adhibuimus, quorum nomina hæc sunt: Adelbertus Maguntinus archiepiscopus, Albero Trevirensis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, Albero Leodiensis episcopus, Stephanus Metensis episcopus, Sigefridus Spirensis episcopus, Bucco Wormacensis episcopus, Embrico Wirceburgensis episcopus, Udo Cicensis episcopus, Bernardus Pathelbrunnensis episcopus, Udo Osnabrugensis episcopus, Fredericus Suavorum dux et Alsatiæ, Adelbertus dux Saxonie, Godefridus dux Lovaniensis, Wilhelmus comes Palatinus, Hermannus marchio, Tibaldus marchio de Voborch, Gebehardus comes de Sulzbach, Heinricus comes Namucensis.

*Signum domni Cuonradi secundi Romanorum regis invictissimi.*

D Ego Arnoldus cancellarius vice Adelberti Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis 1140 indictione tertia, regnante Cuonrado Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus secundo.

Data Wormaciæ v Idus Februarii, in Christo feliciter. Amen.

#### XV.

*Diploma Arnoldi archiepiscopi Coloniensis Wibaldo abbati concessum. — Decimas novatium in villa Bullinga ei et suis successoribus in generali synodo concedit.*

(Anno 1140.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, ARNOLDUS, Dei miseratione sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, WIBALDI Stabulensi abbati, suisque

successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Sicut in Ecclesia Dei ipsius vocatione ac misericordia superiorem locum obtinere cernimur, ita fratrum nostrorum et pauperum curam propensius gerere debemus, quatenus ea quæ justè ordinata sunt, in suo statu conserventur, quæ vero aliqua ex parte labefactata fuerint, in antiquæ dignitatis robur, Deo auctore, reformentur. Quocirca noverit omnium fidelium Dei tam futurorum quam presentium industria, quod venerabilis filius noster Wibaldus Stabulensis abbas, in synodum generalem, quam Deo præstante Coloniae celebravimus, veniens, conquestus est nobis, quod in villa, nomine Bullinga, cujus ecclesia ad ipsum pertinet, coloni omissis agris, silvam stirpare, et ex ea uberes fructus capere jamdudum cœpissent, et quamvis ejus utilitatis quæ ex pastu porcorum in eadem silva colligatur decimatio, ad ipsum abbatem sine ullius contradictione pertineat, annonæ tamen decimatio ad ecclesiam Bullingam et abbatem pertinebat, eorumdem novalium decimatio quantacunque esset, jure ad prædictam ecclesiam et abbatem pertineret. Quod ut per omnia tempora ab omnibus conservetur, dedimus tibi, reverende abba Wibalde, et per te tuis successoribus in perpetuum, justo judicio decimationem omnium quæ ex novalibus præscriptæ silvæ provenerint, ut eam tuis tuorumque monachorum usibus totam coaptas, ac legitime possideas, ita videlicet ut nullo alienationis modo, alicui unquam personæ per te vel per tuos successores obligetur, sed necessitatibus Deo famulantium jugiter deserviat. Decimas etiam, quæ Ecclesiæ tuæ a prædecessore nostro felicis memoriæ Heriberto archiepiscopo collatæ et confirmatæ sunt, præsentis auctoritate paginæ Ecclesiæ tuæ, tibi et successoribus tuis confirmamus. Si quis sane contra hanc nostram constitutionem sciens agere præsumpserit, si communitus errorem suum cito non correxerit, terribilem sanctorum apostolorum Petri et Pauli indignationem et nostram atque successorum nostrorum cum maledictione excommunicationem incurrat.

Testes sunt qui affuerunt, Arnoldus majoris ecclesiæ præpositus, Waltherus decanus, Gerardus, Bonnensis præpositus et archidiaconus, Herimannus Sanctensis præpositus et archidiaconus, Bruno præpositus de Sancto Gereone, Thiebaldus præpositus Sancti Severini, Wilelmus præpositus de Sancta Maria ad Gradus, ejusdem decaniæ decanus, Berno præpositus de Sancto Cuniberto, Theodericus præpositus de Sanctis Apostolis, Beringerus præpositus de Sancto Andrea, Fredericus præpositus de Sancto Georgio, Gerardus abbas (221) de Sancto Pantaleone, Rodulfus abbas (222-23) Tuitiensis, Amelius abbas (224) Brunwillariensis, Theodericus abbas de (225)

(221) Ordinis S. Benedicti in ipsa civitate Coloniensi.

(222-23) Ordinis item S. Benedicti extra civitatem ad alteram Rheni ripam.

A Campis, Fulcoldus decanus de Sancto Cuniberto, Robertus decanus de Sancto Gereone, Fulcuinus decanus de Sancta Maria ad Gradus, Obertus magister scholarum ecclesiæ Sancti Petri, Joannes secundus magister in eadem ecclesia, Godinus scholasticus de Sancto Gereone, Berengerus scholasticus de Sancta Maria ad Gradus.

Actum est Coloniae publice in majori ecclesia, anno Dominicæ Incarnationis 1140, indictione tertia, regnante Cuonrado Romanorum rege secundo, regni sui tertio.

## XVI.

*Diploma Arnoldi archiepiscopi Coloniensis Wibaldo abbati concessum. — De auctoritate et potestate abbatis Stabulensis in Malmundarienses monachos.*

(Anno 1140.)

B in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. ARNOLDUS divina præordinante clementia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, dilecto filio et fratri WIBALDO Stabulensis Ecclesiæ venerabili abbati, tuisque successoribus in perpetuum.

C Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. Et quia scriptum est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (Matth. v)*; nos ad pacem Ecclesiarum reformandam et conservandam pastoralis curæ sollicitudo admonet. Itaque, charissime nobis frater abba Wibalde, secundum scriptum felicis memoriæ antecessoris nostri Frederici archiepiscopi, quod prædecessori tuo Cuononi abbati collatum est, illam veterem dissensionis materiam, quæ diu multumque cœnobium tuum, Stabulense videlicet, cui, Deo auctore, regulariter præes, et Malmundariense monasterium, quod eidem a prima fundatione conjunctum est, vexavit, radicitus rescare volentes, constituimus et sacra pontificali auctoritate confirmamus, ut Malmundarium, quod in nostra quidem parochia situm est, nunquam a Stabulensi cœnobio separetur, sed ab uno semper abbate sine cujuslibet personæ contradictione regatur, et una semper abbatia et sit et nominetur. Defuncto vero per successionem abbate, et eo, ubi vivens ordinaverit, sepulto, utriusque loci monachi Stabulaus in capitolium conveniant, et cum libera eligendi facultate omnium prælibato assensu et conniventia, summa electionis auctoritas et prima vox penes Stabulenses habeatur, et de eadem Ecclesia persona idonea, si inventa fuerit, assumatur; hoc enim et apostolicæ sedis privilegia, et imperatorum ac regum plurima præcepta Ecclesiæ Stabulensi concessa declarant. Sic igitur electum abbatem Leodiensis episcopus, ad quem pertinet sine nostra vel successorum nostrorum contradictione, benedicat, et ei curam animarum ex more injungat, habeatque ordinatus plenam potestatem ordi-

(224) Ordinis S. Benedicti, quod monasterium duabus a Colonia horis distat.

(225) Ordinis Cisterciensis et plurimum in Germania monasteriorum Patris.

nandi, nutriendi, transferendi Malmundarienses A monachos, nec ullus successorum nostrorum obedientiam vel subjectionem ab abbate exigat, sed tam Malmundarii quam in aliis parochiæ nostræ locis sibi pertinentibus missas licenter celebret, nec ad synodum nostram, nisi forte ab aliquo pulsatus fuerit, venire cogatur, et decimationes ecclesiarum Malmundarii, Amblavæ, Aldendorp et Bullinge et aliarum quas justis modis acquisierit, in suos et fratrum suorum usus libere possideat. Nullus archidiaconus, nullus decanus vel archipresbyter, seu nullus noster in ipso Malmundariensi monasterio vel in ædibus claustrum ullam potestatem vel iudicium exerceat, sed omnium fratrum et rerum potestas, correctio et ordinatio in libera abbatis potestate consistat. Quod si quis contra hanc scri- B pturæ paginam sciens venire tentaverit, si admonitus cito non resipuerit, iram Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum incurrat, et anathematis maledictione perpetuo innotetur. Super conservantes autem benedictio Dei omnipotentis descendat.

Testes sunt qui affuerunt : Arnoldus maioris ecclesie præpositus, Walterus decanus, Gerardus Bonnensis præpositus et archidiaconus, Herimannus Sanctensis præpositus et archidiaconus, Bruno præpositus de Sancto Gereone, Thiebaldus præpositus ecclesie Sancti Severini, Wilhelmus de Sancta Maria ad Gradus præpositus, ejusdem decaniæ decanus, Berno præpositus de Sancto Cuniberto, Theodericus præpositus de Sanctis apostolis, Berengerus C præpositus de Sancto Andrea, Fredericus præpositus de Sancto Georgio, Gerardus abbas de Sancto Pantaleone, Rodolphus abbas Tuitiensis, Amelius abbas Brunwillariensis, Theodericus abbas de Campis, [Fulcoldus decanus de Sancto Cuniberto, Robertus decanus de Sancto Gereone, Berengerus scholasticus de Sancta Maria ad Gradus.

Actum est Coloniae publice in majori ecclesia anno Dominicæ incarnationis 1140, indictione III, regnante Cuonrado Romanorum rege II, regni sui tertio.

## XVII.

*Charta Wibaldi abbatis, de defectu bovariorum in curte Lernou.*

(Anno 1140.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis. WIBALDUS divina favente clementia Stabulensis Ecclesie humilis minister, successoribus suis in perpetuum.

Notum facimus discretioni vestræ, quod nobis in curte nostra Lernou venientibus, et de fidelitate ejusdem curtis admonentibus, et præcipue de defectu bovariorum conquerentibus, quod videlicet ad curandas vaccas cum ipsarum fructu denuo de curte

(226) Hunc Wibaldi fratrem conjicio fuisse Conradi regis cancellarium, qui cum ipso ad Terræ sanctæ expeditionem profectus est, ut vidimus in Wibaldi epistolis.

illa debito jure cogi posset, retulerunt scabini esse inibi quamdam progeniem, quæ jure hæreditario nobis et successoribus nostris deservire in hoc deberet. Quod audientes qui ejus progeniei proximi esse videbantur, Ruezelinus videlicet, et Joannes, et Adelardus fratres, et duæ sorores eorum Ansbera et Elenburgis in nostram præsentiam venerunt, obsecrantes ut quia injuste ad hoc faciendum etiam alio tempore nominati ac sollicitati erant, audita multorum veritate per sacramentum comprobata, quod nunquam patres eorum, non atavus, non avus, non pater per se vel per suos de bovaria curare debuerunt, eos comprobare nostra sineret auctoritas. Quod nos per nos et nostros exquirentes, et veritati intendentes, evocatis eis juramento approbare concessimus. Juraverunt igitur prædicti viri quod præmisimus, videlicet quod nec parentes eorum, nec ipsi, nec ipsorum successio ejus legis essent, ut de bovaria nostra curare, nisi sponte velent, deberent. Quod nos iudicio hominum et scabinorum nostrorum, ejusdem curtis et Stabulaus confirmantes, præsentis paginæ mandari et sigillo nostro insigniri, testes quoque qui affuerunt subscribi fecimus, ne quis unquam per succedentia tempora eos ab hac sua lege temeraria præsumptione infringere audeat.

Actum est publice in domo nostra Stabulense anno Dominicæ Incarnationis 1140, indictione III, regnante domno Cuonrado II Romanorum rege invictissimo, Alberone II in Leodio præsule, ordinationis autem nostræ anno IX.

Nomina eorum qui affuerunt hæc sunt. Arnulfus cantor, Gislebertus custos, Erleboldus frater et capellanus noster; de laicis, Anselmus villicus, Adelardus frater ejus, Erchenbertus (226) frater noster, Adelardus villicus de Lernou : De scabinis, Gisle-nus, Hartuinus, Robertus et Lyetbertus, feliciter Amen.

## XVIII.

*Epistola Cælestini papæ II ad archiepiscopum, clerum, et populum Leodiensem. — Confirmat latam ab eis excommunicationis sententiam contra infestatores monasterii Stabulensis, hortaturque ut distractiones bonorum a Poppone II factas restitui curent etc.*

(Anno 1145.)

COELESTINUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri (227) Ad. episcopo, et dilectis filiis clero et populo Leodiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum nobis est, etc. Vide in Cælestino II, Patrologiæ tom. CLXXIX, sub num. 20.

## XIX.

*Privilegium Cælestini II papæ Wibaldo abbati concessum. — Monasterium Stabulense sub sedis apo-*

(227) Adalberoni hujus nominis II, filio comitis Gueldriæ, qui ex primicerio Metensi anno 1136 electus est episcopus Leodiensis, præfuitque ad 1146.

*stolicæ protectione suscipit, ac varia illius privilegia et immunitates confirmat.*

(Anno 1143.)

CŒLESTINUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis WIBALDO Stabulensi abbati ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Apostolici moderaminis clementiæ etc. *Vide ubi supra sub num. 21.*

## XX.

*Privilegium Lucii papæ III pro monasterio Stabulensi.*

(Anno 1144.)

LUCIUS episcopus, etc.

Apostolici moderaminis, etc. *Vide in Lucio Patrologiæ tom. CLXXIX, sub num. 67.*

## XXI.

*Præceptum (228) Conradi Romanorum regis secundi a Wibaldo Stabulensi abbate impetratum pro monasterio Reinehusano.*

(Anno 1144.)

In nomine... CONRADUS divina clementia Romanorum rex secundus....

Notum esse volumus, reverende abbas Reinharde Reinehusensis cœnobii, quod nos ob interventum et petitionem charissimi ac fidelissimi nostri Wibaldi venerabilis abbatis Stabulensis, cujus tu eruditor et magister fuisti, regiæ majestatis privilegio confirmamus libertatem et immunitatem prædicto loco tuo.... et omnibus possessionibus, quæ tam a comite Conrado quam a fratre ipsius Udone Hildenesheimensi quondam episcopo, qui ejusdem venerabilis cœnobii primi constructores fuere, nec non ab inclytæ recordationis Herimanno, patriæ comite, vel etiam ab Eilika abbatissa, Beatrice quoque comitissa, seu ab aliis Christi fidelibus... collatæ sunt. Decernimus itaque ut prænominatus venerabilis locus Reinehuse cum omnibus sibi appendentibus ac omni functione publica et vectigalibus regni liber sit et absolutus.... Dedimus etiam tibi potestatem mercatum in eodem loco habendi, publicas nundinas instituendi, percussuram monetæ ordinandi, teloneum sumendi; hoc scilicet rationis tenore, ut, quidquid ex prædictis rebus utilitatis vel compositionis acceverit, in usus fratrum Deo servientium,

(228) Hujus instrumenti mentionem fecit Reinhardus in opusculo de fundatione sui monasterii Reinehusensis a Libnitio edito tom. I Scriptorum rerum Brunswic p. 703. Dominus Conradus Romanorum rex secundus, inquit, monete percussuram, telonii usum, nundinarum institutionem, immunitatem monasterio meo contulit. Veruntamen in his plus detrimenti quam emolumenti accepi. Hæc illi, e quibus conjicimus opusculum illud scriptum fuisse post annum 1144. Si scriptum supponatur anno 1146 vel sequenti, creatus fuit abbas Reinehusensis anno 1126 vel 1127, scripsit quippe regiminis sui anno vigesimo, uti ipse ibidem insinuat his verbis: *Hildenesheimenses etiam fratres mei amicissimi donationem, quam Elikâ abbatissa contulit, revocare volentes, mihi decrepito et pauperi, ut aiunt, parcunt.*

A et pauperum et peregrinorum omnimodis cedat. Et ut hæc rata omni tempore permaneant, præsentis præcepti paginam sigilli nostri impresssione communiri jussimus.

Testesque qui affuerunt, subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Henricus Moguntinus archiepiscopus. Buco Wormatiensis episcopus, Wigerus Brandeburgensis episcopus, Wibaldus Stabulensis abbas, Henricus Hersfeldensis abbas, Conradus Helmwardishusensis abbas, Adelbertus marchio de Brandenburg, Comes Herimannus de Winzenburg et frater ejus Henricus, Ludovicus Laudgravius de Tyring.

Anno Dominicæ Incarnationis 1144, indict. VII regnante domino Conrado, Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus septimo. Data apud Hersfeldam XVII Kal. Novembris in Christo feliciter. Amen.

*Signum Domini Conradi secundi Romanorum regis invictissimi,*

Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

*Infra pendet sigillum Conradi in solio regali sedentis cum hac inscriptione: CONRADUS ROMANORUM REX II.*

## XXII.

*Privilegium Eugenii papæ III pro monasterio Stabulensi.*

(Anno 1146.)

EUGENIUS, etc.

Apostolici moderaminis, etc. *Vide in Eugenio III ad an. 1153.*

## XXIII.

*Litteræ Monachorum Stabulensis monasterii ad Wibaldum abbatem. — Ipsi concedunt ad vitam Boviniacum et Germiniacum villas, etiamsi desineret eorum esse abbas.*

(Anno 1146.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis. Reverendo Patri suo et domino WIBALDO, venerabili Stabulensis Ecclesiæ abbati, tota ejusdem cœnobii congregatio in perpetuum.

Sicut necessarium est ea quæ a potentioribus traduntur firmis privilegiorum monumentis roborari, ita nihilominus constat esse utilimum, si vel quod a subditis suis prælatis aut majoribus conceditur

*Quod ego cum omni gratiarum actione libentissime suscipio, et obsequio meo id mereri studeo. Sed frustra nunc primum id nituntur, quia Reinehusensis Ecclesia hoc ante meum introitum viginti annis, et totidem ex tunc sine interruptione, justo titulo, et bona fide, quiete possedit. At vero cum esset decrepitus anno 1146, ætatis certe jam erat propectæ anno 1126, idque ipse confirmat eodem in opusculo: Quia vero a primo tempore meæ villicationis, inquit, senio et auxilio sum destitutus. Potuit itaque sub initium hujus sæculi e monasterio Helmwardishusen. ubi religionem professus fuerat, si fides sit Hofamno, accersiri, ut scholas Stabulensium regeret, uti alibi diximus. Vide supra epistol. ipsius Reinhardi, col. 1155.*

certis quibusdam signorum attestationibus, confirmetur, non quod viri religiosi sua unquam concessa immutare velint vel debeant, sed ne posterorum oblivio aut ignorantia prædecessorum suorum instituta tempore aliquo immutare præsumat. Notum itaque volumus tam futuris quam præsentibus Ecclesiæ nostræ fratribus quod duo prædia nostra, scilicet Boviniacum atque Germiniacum, jam a longis retro temporibus non solum nobis inutilia, sed etiam gravissimis sumptibus damnosa, tibi, reverende Pater Wibalde, unanimi consensu et concordi benevolentia in perpetuum concessimus, ita videlicet, ut toto vitæ tuæ tempore in quocunque statu sis, id est, sive ad aliam sedem promovearis, sive a nostro (quod absit) regimine liber fueris, et, ut absolute dicamus, sive abbas dicaris vel non, iisdem prædiis cum omnibus pertinentiis suis et fructu libere deinceps utaris ac fruaris, nullum inde nobis debitum porsolvens, ac defectum supplens, quin potius omnia ad te tanquam ad proprium possessorem et dominum conferantur. Et licet de tua fide et pio erga nos et nostra desiderio nihil unquam dubitaverimus, tamen ad propositæ cautelæ ampliorem sollicitudinem ante omnia et super omnia observari a te volumus, et omnino interdiciamus, ne unquam ipsas possessiones aut prædia distrahere, alienare, oppignorare, vel deteriorare tibi liceat, neque ibidem aliquando homines alterius professionis vel ordinis constituere, vel locum ad habitandum concedere, sed, te vita decedente, libere cum omni integritate sua omnibusque acquisitis et in jus atque ordinationem nostram, sive successorum nostrorum, fratrum videlicet hujus Ecclesiæ, revertentur, Boviniacum scilicet in manum Vestiarii, ad quam prius pertinebat, Germiniacum vero ad usus et dominationem fratrum omnium. Ut autem hujus nostræ traditionis confirmatio integra omni vita tua permaneat, præsentem paginam sigilli Ecclesiæ nostræ impressione insigniri fecimus, et omnium nostrum qui hoc et fecimus, subter annotari fecimus.

Actum publice in capitulo Stabulaus anno Dominicæ Incarnationis 1146, indictione ix, regnante domno Cuonrado, Romanorum rege secundo, anno regni ejus ix, ordinationis autem domini abbatis WIBALDI xv, in Christo feliciter. Amen.

Ego Robertus prior subscripsi.

*Signum Warneri. Signum Roberti, Radulfi, Emmonis, Anselmi, Heinrici, Gisleberti, Hillini.*

#### XXIV.

*Litteræ Wibaldi abbatis de Ecclesiæ de Comblenz decimatione Radulfo de Comblenz ad vitam data.*

(Anno 1146.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, WIBALDUS Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis in perpetuum.

Utiliter multum et provide conscribuntur ea quæ a nobis de possessionibus monasterii nostri gerun-

tur, ut videlicet redditus et possessiones statuto tempore sine diminutione solvantur, et in singulis quibusque rebus, quid qua utilitate poscente, vel qua necessitate cogente actum sit a posteris nostris non ignoretur. Noverint igitur omnes Ecclesiæ nostræ nostrique fideles quod decimatio Ecclesiæ de Comblenz, quæ ad vestiarium fratrum nostrorum Malmundarii pertinet, data fuit a prædecessoribus nostris in pactum pro sex libris Leodiensis monetæ, exinde per singulos annos persolvendis, sicque Macharius de Semaces possedit eam post Warnerum patrem suum usque in finem vitæ suæ. Quo defuncto, volumus ipsam decimationem quoniam damnose locata erat, ad commodum fratrum per manum nostram ordinare. Cæterum propter malitiam temporis quæ in diebus nostris nimium superabundavit, et propter constitutionem pacti nostris prædecessoribus confirmati, hoc ad effectum perducere non valentes, parati fuimus reddere præfatam decimationem sub prædicta pensione Nicolao prænominati Macharii filio. Verum ipse, accepta non parva pecunia a Radulfo de Comblenz, volens et sponte sua designavit in manu nostra, et abdicanda exfestucavit hoc quod hæreditarium ei a patre in ejusdem decimationis pacto fuerat. Nos igitur acceptis ab eodem Radulfo vi libris denariorum, qui sicut apud nos omnium pactorum justitia est, nobis pro cognitione proprietarii juris nostri, et pro investitura possessionis suæ sub pacto dati sunt, concessimus ac dedimus eidem Radulfo, et uxori ejus Idæ omnem decimationem de Ecclesia de Comblenz, sicut eam tenuit Warnerus et Macharius, sub annua pactione, ita videlicet ut in Dominica quæ diem sacram Pentecosten proxime præcedit vi libras denariorum Leodiensis monetæ persolvant, et quandiu ambo vixerint, censumque prædictum villico de Comblenz per singulos annos præfixa die solverint absque ullius inquietatione possideant. Defunctis vero utrisque, nullus eandem possessionem obtinebit, nisi uxorem de ministerialibus Ecclesiæ habuerit, et sex libras de abbatis investitura persolverit. Quod si prænominata die totum censum solvere neglexerint, tunc a villico de Comblenz, quicumque pro tempore fuerit, per continuum triduum vocati ejusdem curtis indicati, possessionem et jus hæreditatis de cætero sine spe recuperationis amittant. Quod si villicus exigere et indicare supersederit, non possessor ab ipso abbate vocatus, per ministeriales judicabitur, datis ad singulas vocationes parvissimi temporis induciis, scilicet propter vestimenta fratrum emenda, et propter constitutionem hujus pacti. Obeunte vero omni possessore, investitura in capitolio Malmundarii dabitur, pro qua habebit abbas sex libras denariorum, et fratres annam vini.

Actum est publice in monasterio Malmundario v Idus Octobris in martyrio Nigassii, Quirini, et Scuviculi, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, indictione x, anno regni



domni CONRADI regis IX, præsente domno abbate WIBALDO.

Hujus rei testes sunt, Albertus decanus, Anselmus præpositus, Erleboldus custos Stabulensis, Bovo portarius, et cæteri fratres. De clericis, Poppo de *Semaces*. De laicis, Francho villicus Malmundariensis, Hillinus de *Atriniunt*, Philippus, Joannes, Alardus de *Lernou*, Warnerus de *Cresonia*, Lietbertus de *Wallaria*, et alii multi

## XXV.

*Diploma Conradi Romanorum regis pro monasterio Corbeiensi. — Monasteria Keminada et Wisbeka Corbeie assērit.*

(Anno 1147.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis CONRADUS divina favente clementia Romanorum rex secundus.

Principalis dignitatis munificentiam decet bene de republica merentibus præmia rependere, et per congruos honorum gradus provector cæteris in exemplum, et tanquam bonæ spei signum proponere. Ut tam hi sui laboris emolumenta sine sine mansura percipiant, quam illi a simili mercedis gratia sese non fraudandos intelligant. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam futuri quam præsentis temporis industria, quod nos propitia serenitate, fidem, labores et constantiam fidelissimi nostri nobisque charissimi Wibaldi Corbeiensis abbatis intuentes, tradidimus in perpetuum Corbeiensi monasterio, et eidem qui nunc divina vocatione et communi atque concordii fratrum electione præest, abbati scilicet Wibaldo, nec non cunctis successoribus ipsius, auctoritate in æternum valitura, duo seminarum monasteria Keminade videlicet, et Wisbeka, et de nostro atque regni jurē, per manum Herimanni Palatini comitis de Rheno, quem ad hoc rite peragendum assumpseramus advocatum, transigimus et firmavimus super reliquias corporis. S. Viti martyris, per aureum donationis nostræ annulum, in potestatem ejus atque dominationem Corbeiensis monasterii in manum prædicti abbatis Wibaldi et Adelberti marchionis de Brandeburch, qui vice Herimanni comitis de Winzemburch, Corbeiensis monasterii advocati, eandem donationem nostram seu transactionem suscipiebāt, ita videlicet, ut Corbeiense monasterium duo prænomina monasteria Keminade scilicet et Wisbeka cum omnibus prædiis, silvis et aquis, tam foris quam intus, ad ipsa loca pertinentibus habeat, possideat, ordinet, utatur et servet, sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario tres abbatias, quas fundator ejusdem novæ Corbeie Luthewicus Pius magni Caroli filius ad eandem Corbeiam contulit, scilicet (229) Eresburch, nobile quondam Saxonum castrum, Meppiam et Wisbeka, sane ad præfata duo loca neque militia neque ullum servitium nobis aut regno debebatur. Et quoniam Corbeiensi monasterio tam

A in militia quam in servitio ad honorem regni et defensionem sanctæ Ecclesiæ dignitas collata est, nos judicio principum ad coronæ nostræ augmentum, sicut præscriptum est, manere decernimus.

Primam judicii sententiam dedit Burchardus Argentiniensis episcopus, quem secutus est Albero Trevirensis archiepiscopus, Anselmus Havelbergensis episcopus, Henricus Leodiensis episcopus, Sifridus Wirzebergensis electus, Frithericus dux Sueviæ et Alsatia, Herimannus Palatinus comes de Rheno, Conradus dux de Ceringa, Conradus marchio de Witin, Adalbertus marchio de Brandeburch, Ottho filius ipsius æque marchio, Herimannus filius ejusdem Adelberti marchionis, Luthewicus comes patriæ de Thuringia, Herimannus marchio de Bada, Wernerus comes de Bathen, Uthelricus comes de Lenzenburch, Uthelricus comes de Orninga, Henricus comes de Cazenelenboge, Marquardus, Sibodo, Theodericus comes de Montbelliard, et alii plures, qui tunc adfuere.

Hoc quoque notum esse volumus quod venerabilis Pater noster Eugenius sanctæ Romanæ Ecclesiæ summus pontifex frequenti nos admonitione tam per suos quam per nostros legatos hortatus est ut monasteria seminarum, quæ nostræ ditioni, et ordinationi in regno nostro specialiter pertinent, in quibus divina religio penitus dilapsa est, regulare et reformare dignemur. Et quoniam sæpe nominata monasteria Keminada et Wisbeka non tam monasteria, sed omnibus prætereuntibus viam in peccatis communia, corrigi post multos labores non potuerunt, et Corbeiensi monasterio vicina sunt, tam ad correctionem quam in proprietatem inibi contradidimus, nullo reclamante, nisi sanctæ regulæ inimicus, et pudicitia hostis fuerit inventus. Auctoritate vero nostra regia, præfatis duabus cellis Keminade et Wisbeka damus, ac decreto in perpetuum valituro confirmamus eandem libertatem, quam habet Corbeiense monasterium, scilicet præfecturam urbis, quæ vulgo dicitur Burghan, ea videlicet privilegii ratione, ut nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus advocatus potestatem habeat exercendi judicium in atrio prædictarum ecclesiarum, sed quidquid præter jus et æquum a mulis, qui tam abbati quam congregationi obsequio quotidiano deserviunt, commissum fuerit, ab abbate, vel ab eo, cui ipse mandaverit, corrigatur. Et ut hæc omnia rata et inconvulsa in perpetuum habeantur, præceptum hoc conscribi, et imaginis nostræ impressione insigniri jussimus.

*Signum domni Conradi Romanorum regis secundi.*

Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Actum anno Dominicæ Incarnationis 1147, indict. x, anno vero domni Conradi secundi regis invictissimi IX.

Data Frankenevord in Christo feliciter. Amen.

(229) Eresburg dedit Corbeie Ludovicus Pius anno 826. Meppiam vero anno 854 ex Annal. Paderborn. lib. II.

## XXVI.

*Diploma Conradi II Romanorum regis pro monasterio Corbeiensi. — Ob insignem Wibaldi abbatis fidem et merita Corbeiensium et Herivordensium privilegia instaurat.*

(Anno 1147.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, CONRADUS, divina favente clementia, Romanorum rex secundus.

Ad regis dignitatis munificentiam pertinet, bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, ut et ipsi pro suæ fidei constantia laboris sui emolumenta percipiant, et cæteri ad exsequenda imperii munia bonæ spei pleni et alacres fiant. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam futurorum, quam præsentis ætatis industria, quod noster fidelis et charissimus monasterii, quod Nova Corbeia dicitur, venerabilis abbas Wibaldus, nostram clementiam adiit, petens, ut privilegia Corbeiensis Ecclesiæ, cui nunc idem venerabilis abbas præesse cognoscitur, innovare et confirmare dignaremur. Cujus religiosæ petitioni, ob insignem ipsius circa nos et regnum nobis a Deo concessum fidem, pietatis aurem inclinantes, per præsentis paginæ seriem sub regis majestatis tuitionem ipsum locum, Novam videlicet Corbeiam, cum omnibus sibi tam intus quam foris pertinentibus assumimus, eumque perpetua libertate donantes, nostra et omnium principum auctoritate, lege in perpetuum mansura firmamus, ne præfatum monasterium, Nova Corbeia, in potestatem, vel ditionem sive subjectionem alicujus personæ seu ecclesiasticæ, seu sæcularis dignitatis per aliquam donationem, seu commutationem cedat. Sed semper sub ordinatione et defensione regum vel imperatorum consistat, et libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiatur. Et quoniam ab imperatore Luthewico duo monasteria constructa sunt, et a nostris prædecessoribus honore et divitiis aucta, unum videlicet monachorum, quod Nova Corbeia dicitur, ad normam scilicet Veteris Corbeie, Herevordense vero sanctimonialium, ad similitudinem Suessionis monasterii, decretumque est ab eis, ut Corbeiensis abbas, quicumque pro tempore fuerit, procurationem agat Herivordensis Ecclesiæ, ita videlicet ut juxta consuetudinem qua ancillarum Dei, congregationi procurari solent, præpositi ex ordine ecclesiastico tam in disciplina quam in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exsequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Nos quoque prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, confirmamus et decreto in æternum mansuro statuimus, ut omnes per successionem Corbeiensis cœnobia abbates præscripta procuratione et patrocinio absque ullius contradictione utantur, et servata dignitate abbatissæ, in quibus opportanum fuerit, Herevor-

A densi congregationi assistant. Confirmamus etiam quæ prædecessor noster imperator Luthewicus supradictis monasteriis pro elemosyna generis sui tradidit, cellam videlicet, quæ vocatur Meppia, cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus, et ecclesiam Eresburg, circumque per duas Saxonicas rastas (250) ad Novam Corbeiam. Ad Herevordense vero monasterium in episcopatu Osnebrugensi Ecclesiam Buinidi cum subjectis sibi ecclesiis, in parochia Mimiervordensi ecclesiam Reni cum his quæ ad eam pertinent ecclesiis, ita sane, ut decimarum aliorumque reddituum proventus omnes præfatis cederent monasteriis, et ab ipsis vicissim procurarentur subjectæ plebes in baptisate, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda. Et presbyteri, qui principales Ecclesias tenerent, archipresbyterorum officio fungerentur, ad agenda omnia, quæ solent fieri ab archipresbyteris episcoporum, et cum episcopi circationes suas ibi agere deberent, ad eorum mansionatica daretur, ut in capitularibus antecessorum nostrorum præscriptum habetur, videlicet quantum satis sit eis dari, et episcopi non plus quærant, nec cum pluribus veniant, quam ut eis sufficere possint. Ne autem in summâ debiti episcoporum servitii plus exigeretur, quam opus sit, statuerunt prædictarum ecclesiarum episcopi cum consensu synodali coram antecessore nostro Ottone imperatore, ab archiepiscopo Rabano, cæterisque cum eo in synodo agentibus, ut dentur ad singulas ecclesias porci iv valentes singuli denarios xii, aut arietes viii tantumdem valentes, porcelli iv, aucæ iv, pullæ viii, situlæ xx, de medone, de mellita cervisa xx, de non mellita lx; panes cxx, de avena modios c, manipuli dc, essetque in potestate episcoporum, utrum hæc per singulas ecclesias ad unum mansionaticum, an ad duo vellent habere. Statuimus etiam atque concedimus, juxta decreta prædecessorum nostrorum, liberam utrique loco potestatem eligendæ de propria congregatione in regimen sui per futura semper tempora congruæ personæ. Et ut nullus judex publicus licentiam in homines ad præfatum monasterium pertinentes ullam judicariam habeat exercere potestatem, sed omnis eorum res coram advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam quæ appellatur Burchban nemo sibi usurpare in eodem loco præsumat, nisi cui potestas ab ejusdem cœnobia abbate concessa fuerit. Et ut liberi homines licentiam habeant prædia sua eidem monasterio conferre, nec quivis judex, aut regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat, sed seipsos in proprietatem ipsius Ecclesiæ ad jus ministerialium tradere liceat, et de infimo ordine, videlicet de litis, aut de censuariis facere ministeriales abbas potestatem habeat.

*Signum domni Conradi Romanorum regis secundi.*

(250) Rasta Saxonica designat certum viarum spatium. Duæ autem leucæ seu millaria tria rasta faciunt, ut habet Beda de numerorum divisione.

Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Moguntini archicancellarii recognovi. Anno Domini Incarnationis 1147, indictione x, regnante Conrado Romanorum rege secundo, anno vero regni ejus decimo.

Datum apud Frankenevorde feliciter. Amen.

## XXVII.

*De Winando de Lemburgo excommunicato ob illatas Stabulensi cœnobio injurias.*

(Anno 1148.)

Anno Domini incarnationis 1148 Winandus de Lemburch qui dicebatur de Turri cum suis complicibus Stabulensem ecclesiam multis rapinis et prædis molestaverat, super quo a domno Wibaldo abbate post canonicam ad satisfaciendum evocationem anathematis vinculo innodatus erat. Ordinante interim divina clementia et multiplices casus Stabulensis ecclesie miserante, subito idem Winandus decessit, nec usquam in omni Leodiensi episcopatu, metu ejusdem domini abbatis et excommunicationis, christiano more sepeliri potuit, sed ad omnium infidelium superstitionem terrorem, et ad domni abbatis cujus industria hoc effecerat, vel ecclesie perpetuum munimentum et honorem, Bailus, quæ juxta Lemburch est, extra muros cimiterii sepultus est. Cum tamen idem Winandus consanguineus domni Henrici tunc Leodiensis pontificis esset, vel quia magnus erat, sui sic eum decessisse non mediocriter dolentes, cum magna humilitatis instantia, assumptis secum duobus nobilibus dominis suis, Henrico de Rupe, et Henrico de Lemburch, quorum alter, id est de Rupe advocatus ecclesie nostræ erat, et alterius Henrici amice filius, domnum abbatem et ecclesiam adeunt, et ut recepta compositione damnorum mortuum suum christiana sepultura non privarent, suppliciter exorabant. Post multimodas igitur supplicationes, summa ablatorum ad c marchas supputata est, quam summam duo prædicti nobiles domino abbati cum suis, quos postea notabimus, se daturos vel deservituros promiserunt. Juraverunt præterea duo dicti nobiles, quod nunquam deinceps per se vel per summissam personam in fundis, vel possessionibus, vel libertate sua Stabulensem ecclesiam molestarent vel inquietarent. Juraverunt idem quidam de familia utrorumque et præterea hommagium domno abbati Wibaldo fecerunt, et fidelitatem domno abbati et ecclesie juraverunt, quod deinceps in fundis vel possessionibus ejusdem ecclesie et familiam ubicumque locorum liberam et intactam ab omni injusta et indebita vexatione conservarent. Quod si qui eorum hanc sponsonem temerarie violarent, juraverunt sæpèdicti duo nobiles Henricus de Lemburch et Henricus de Rupe a castellis et possessionibus suis alienare et exturbare, donec ablata ex integro restituerent, et de injuria domno abbati et ecclesie congrue satisfacerent.

## XXVIII.

*Litteræ Wibaldi abbatis de his quæ in beneficium*

*Reinero de Rupe apud Novam Villam concessit.*

(Anno 1148.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Wibaldus, divina favente clementia, Stabulensis abbas successoribus in perpetuum. Cum in rebus nobis a Deo commissis, sive secundum rationem utilitatis, sive secundum necessitatem dispensationis aliquid ordinamus aut statuimus, dignum est ut ad posterorum memoriam scripto diligenter transmittamus. Unde notum esse volumus omnibus, quod cum multiplicibus et pene inextricabilibus periculis et sumptibus id elaboravissimus, ut medietas eorum beneficiorum quæ abbas secundus Poppo dederat, quæ nova beneficia dicebantur, tam a liberis quam a ministerialibus nostris in manus nostras resignari deberet, fidelis noster Reinnerus de Rupe, qui juriam apud Novam Villam et sanctum Vitum a nobis tenebat, ad nos veniens de xxxix solidis, quos de novo beneficio apud Novam Villam habebat xx solidos in manus nostras ad usus fratrum Malmundariensis ecclesie refutavit, a quo cum adhuc de xxx solidis, quos in eadem villa singulis annis habebat, medietatem exigeremus, sufficienti testimonio tam laicorum, quam etiam fratrum nostrorum Malmundariensium probavit, patrem suum quondam E. pro his xxx solidis xl solidos quos de antiquissimo beneficio apud Wellines tenebat, ecclesie Malmundariensi in concambium resignasse. Rursus cum de terris scilicet duobus mansis, quos apud prædictam Novam Villam, et de vii rusticis quos de novo etiam beneficio infra bannum Malmundariensem tenere dicebatur, mediam partem habere vellemus, interventu illustris ac præclari viri ducis Waleranni, cujus fide et opera tam nos quam prædecessores nostri in ecclesia nostra sæpenumero usi sumus, necnon nobilissimæ uxoris suæ Judithæ ac filii ejus Henrici, qui etiam tam nos quam res ecclesie nostræ intimo affectu dilexerunt et honoraverunt, et præcipue obsecratione et instantia fratrum nostrorum Malmundariensium, præterea etiam respectu servitii ejusdem Reineri, qui in omnibus necessitatibus nostris tam in persona sua, quam in rebus suis fideliter nobis semper assisterat, animo inclinati, a proposito rigoris nostri destitimus, utilius esse judicantes paucarum rerum parva detrimenta sustinere, quam fratres nostros non audire, quam tot nobilium et fidelium nostrorum petitionibus non consentire. Opponebatur siquidem nobis ab omnibus debere nobis sufficere xx solidos a fidei nostro recepisse, quos cum omni integritate beneficii sui a quatuor prædecessoribus nostris, scilicet domno Poppone secundo, domno Warnero, domno Cuonone, et domno Joanne, ad nos usque obtinuerat, non debere hominem qui se totum nobis exhibebat, mala pro bonis recipere, dignum esse ut mansuetudine lenitatis nostræ et bonitate fruerentur, quatenus hujus pii studii ac laudandæ intentionis exemplo, alii circa nostri obsequium ex-

citarentur, ac per hoc de studiosis studiosiores, ex devotis devotiores efficerentur. Nos itaque licet dicta tam nobilium quam fidelium nostrorum satis approbaremus, quamvis personam fidelis nostri Reineri, cujus causa agebatur, satis amplecteremur, tamen eo usque perseveravimus, donec fratres Malmundarienses ad nos accesserunt, instanter et attente suggerentes, ut petitionibus tot nobilium acquiesceremus, dicentes plus posse utilitatis ecclesie provenire benevolentia tantorum principum quam detrimenti in dimissione paucorum rusticorum, et unius mansi, qui si forte ad usus ecclesie rediret, ut in brevi absque cultore inutilis omnino efficeretur, aut si fructuosus esse inciperet, aliquorum violentia rursus ab ecclesia subtraheretur. Igitur cum multis hujusmodi persuasionibus in oculis hominum, qui presentes aderant, nos constanter sollicitarent, tunc demum ne ingrati beneficiis ac servitiis fidelis nostri Reineri esse videremur, ex communi consensu et petitione fratrum nostrorum Malmundariensium et interventu supradictarum personarum, concessimus eidem Reineri, ac per eum hæredibus suis in beneficium perpetuum apud Novamvillam illos duos mansos, de quibus agebamus, et septem rusticos qui contra bannum Malmundarii, scilicet apud Dulfum et Kefosse et Richolfivillam commorabantur, eo jure habendos, quo et illos possidebat, qui ex antiquissima successione beneficii jure sibi competebant, ita videlicet ut et duos illos mansos, atque septem rusticos, qui in prædictis locis manebant, ad omnem utilitatem suam sive hæredum suorum modis quibuscunque vellet, deinceps coaptaret. Et ut hæc omnia postmodum rata et inconversa permanerent, cuncta quæ eidem Reineri sive de novo, sive de antiquo beneficio de manu Stabulensis abbatis possidere debet, huic nostræ scriptiois testamento, quod eidem Reineri assensu omnium fratrum nostrorum in capitulo Malmundariensi ac petitione prædictæ ducissæ Judithæ, et filii ejus Heinrici (quippe jam defunctus erat gloriosæ memoriæ dux Wallerannus), ac testimonio et approbatione ministerialium nostrorum concesseramus, inserere volumus, ideo scilicet ne idem Reineri sive hæredes sui supra id quod eis concesseramus aliquando quidquam usurparent, neque (quod absit!) post hæc aliquis successorum nostrorum ipsi Reineri aut suis hæredibus aliquid de eodem beneficio imminuere tentaret. Habet siquidem Reineri a nobis et a successoribus nostris Stabulensibus abbatibus apud Novamvillam in festo sancti Lamberti de novo beneficio xiv solidos. Item, ibidem in festo sancti Martini illos xxx solidos, pro quibus pater suus olim xl solidos apud Wellines de antiquo beneficio fratribus Malmundariensis Ecclesie ante nostram ordinationem in concambium dederat. De his autem xxx solidos nobis et fratribus sex solidos resignavit: item in Epiphania Domini apud Novamvillam viii solidos de novo beneficio tenebat, quos ex integro nobis et fratribus reddidit. Rursus ibi-

dem in medio Maio xvii solidos, ex quibus v solidos in manu nostra ad usus fratrum refutavit. Tenebat etiam idem Reineri apud Novamvillam de antiquo beneficio juariæ mansum unum; item ibidem de antiquo beneficio dimidium mansum et dimidium molendinum in villa quæ Brunefa nuncupatur. Item apud Novamvillam de novo beneficio duos mansos et intra bannum Malmundariensis oppidi, scilicet apud Dulfum et Kefosse et Richolfivillam vii rusticos, qui de novo sunt beneficio. De antiquo vero beneficio habebat apud Rupem dimidium mansum, apud Warcham dimidium molendinum et apud Lonfait terram super quam quidam Godescalchus manebat. Summa itaque novi beneficii ejusdem Reineri xxxix solidi, ex quibus xx solidi nobis et fratribus ab eo sunt restituti, apud Novamvillam duo mansi, et circa Malmundarium vii rustici, de quibus nos eam medietatem quæ nobis competebat, eidem Reineri atque hæredibus suis, sicut supra diximus, petitione fratrum nostrorum, et virorum illustrium in beneficium tradidimus. Cætera etenim omnia de antiquo beneficio fuisse certissime constat. Observabitur autem tam a Reineri quam ab hæredibus suis, ne unquam aliqua ex occasione de xxii solidis fratribus singulis annis persolvendis aliquid imminuatur. Sic namque a nobis constitutum est, et utrique concessum, ut omnis defectus de toto supradicto censu non ad fratres, sed ad Reineri sive suos pertinere debeat, ita ut, sicut prædiximus, fratres singulis annis xx solidos absque defectu habeant. Et quia ista neque levitate, neque temeritate aliqua ducti conscripsimus, ad hoc ut in perpetuum inviolata conserventur, præsentem paginam tam nostri quam Ecclesie nostræ sigilli impressione insigniri jussimus, testesque qui adfuerunt adnotari subter fecimus, obtestantes successores nostros, per eam quæ in Christo est gratiam, ne ad ea infirmenda, quæ communi fratrum et fidelium nostrorum consilio, et provida quadam dispensatione acta sunt, aliquando studium aut manum apponant, sed ea quæ cum maximo labore, vel servata invenimus vel dispersa recollegimus ad usus fratrum et pauperum atque hospitem diligentiam adhibeant.

## XXIX.

D *Conradi regis diploma pro Wibaldo abbate. — Fodinas argenti et metallorum in monte Eresburg permittit liberar.*

(Anno 1150.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex secundus, WIBALDO Corbeiensi abbati suisque successoribus regulariter ordinatis in perpetuum.

Venas metalli, videlicet auri, argenti, cupri, plumbi et stanni, et omnem pecuniam, sive rudem, sive formatam, quæ intra montem Eresburg, qui Corbeiensi Ecclesie jure proprietario pertinere noscitur, latet, tibi, et per te Corbeiensi Ecclesie concedimus, damus, et præsentem scripto confirmamus, et liceat tibi et successoribus tuis, absque ullius personæ contradictione, in eodem monte fodere,

omne metallum, quod inventum fuerit, eruere et A conflare, tuisque et fratrum tuorum usibus licenter aptare, ut tanto melius possit Corbeiensis Ecclesia tam divinis quam regni rebus subservire.

Data est hæc monimenti chartula apud Wizeburg anno Dominicæ Incarnationis 1150, indictione xiii, propter servitium fidele supra scripti abbatis.

XXX.

(Anno 1150.)

*Diploma Conradi, regis Romanorum II, pro monasterio Corbeiensi. — Precibus motus dilecti et fidelis sui Wibaldi abbatis Corbeïense monasterium contra ministerialium insolentiam tuetur.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. CONRADUS divina favente clementia Romanorum rex secundus.

Si paci et tranquillitati Ecclesiarum Dei pia et benigna sollicitudine prospicimus, hanc vicissitudinem nos a pio Creatore nostro accepturos speramus, et ut regni nobis a Deo commissi gubernacula in hoc tempore cum pace et tranquillitate possidere valeamus, ac post regnum hujus temporis in regno æternæ beatitudinis requiem apud justum judicem Deum inveniamus. Notum igitur esse volumus universis regni nostri fidelibus, tam futuræ quam præsentis ætatis hominibus, qualiter dilectus et fidelis noster Wibaldus Corbeïensis monasterii abbas multimoda necessitate ipsius monasterii compulsus, exposuit in auribus clementiæ nostræ incommoditates et injurias, quas a dapiferis et pincernis suis quidam prædecessores ejus sustinuerunt, et ipsi a die prælationis suæ in eodem monasterio passus fuit. Siquidem dapiferi et pincernæ et reliqui, qui ministerii locum in domo Corbeïensis abbatis tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant, quasdam abusiones in eisdem officiis sibi usurpaverunt, ut videlicet omnia victualia, et universam substantiam domus domini sui sub custodia sua teneant, et cui placuerit, eis, inconsulto domino suo, eadem bona servanda et passim distribuenda conferant, tantamque potestatem in istis officiis sibi asserere conantur, ut dominis suis palam, et quasi de jure suo prohibeant, ne claves et custodiam rerum suarum alicui committant. Sont etenim de rebus dominorum suorum proprias familias alere, ac milites suos pascere, in tantum ut in propriis domibus plerumque aut tanta aut etiam plura, quam domini sui de facultatibus eorum, quas debuerant servare, expendant, et in dissipandis bonis eorum modum omnino nullum teneant. Hujusmodi ergo superfluas et damnosas rerum suarum dissipationes cum prænominatus fidelis et dilectus noster Wibaldus Corbeïensis abbas de eadem domo eliminare, ac domum suam secundum honorem Dei, ac propriam utilitatem ordinare tentasset, quidam de ministerialibus ejus Rabano, qui tunc officium dapiferi administrabat, cum fratre suo Liudolfo, et paucis consanguineis suis multum ordinationi ejus refragatus est, atque cum multa comminatione asserebat, quod potestatem officii sui, quam

hactenus in domo illa exercuerat, nunquam, dum viveret, relicturus esset; ita ut sub imperio suo essent universa victualia domini sui, ac potestatem haberet de eis tribuendi, cui vellet, ne dati aut accepti aliquam rationem domino suo redderet, ne claves rerum servare alicui liceret, nisi quem ipse ordinasset.

Hæc itaque contradictio inter ministeriales Corbeïensis Ecclesiæ a præfato abbate domino suo ventilata est, et per judicium eorum, tam eidem Rabano, quam omnibus, qui hujusmodi dominationem sibi de bonis domini sui usurparent, omnis potestas de committendis clavibus, et de custodia rerum domini sui adjudicata est, hancque potestatem abbati Corbeïensi præscripti ab eo sententiam judicii unanimiter adjudicaverunt, ut claves, et custodiam rerum suarum liceret ei committere, absque consilio dapiferi et pincernæ, cuicumque voluisset. Dapifero autem et pincernæ tale judicium adinvenerunt, ut in victualibus domini, nullam potestatem dandi absque voluntate ipsius prorsus habeant, sed cum domino suo secundum debitum officii sui ad mensam servierint, hanc dignitatem de officio suo consequantur, ut refecto domino, ad mensam ejus cum cæteris ministris de bonis domini sui reficiantur, et præter hanc nullam aliam potestatem de rebus ipsius exercent.

Huic comparium suorum judicio cum idem Rabano acquiescere noluisse, prædictus fidelis noster Corbeïensis abbas apud clementiam nostram impetravit, quod in plena curia nostra, quam Spiræ celebravimus, judicium super eodem verbo a ministerialibus regni sciscitati sumus, qui etiam in conspectu nostro et principum regni idem judicium, quod Corbeïenses invenerunt, pari consensu asseruerunt.

Aliam præterea molestiam idem Rabano fratribus, qui Deo serviunt in Corbeïensi monasterio irrogare præsumpsit, quod videlicet muros, et intra ambitum cæmeterii ejusdem ecclesiæ hæreditariam mansionem sibi vindicavit, super qua mansionem cum satis fuisset commonitus, tum a domino suo, tum a fratribus monachis, tum a comparibus suis, quatenus ab ea desisteret, noluit eorum salutaribus monitis obtemperare. Unde ministeriales Corbeïensis Ecclesiæ judicii sententiam interrogati, abjudicaverunt tam ei quam omnibus sæcularibus beneficium in atrio Ecclesiæ, et quod aliquis abbatum tale beneficium potuerit præstare. Cum vero adhuc reluctaretur, nos interrogati a fideli nostro prædicto Corbeïensi abbate, cum interrogassemus ministeriales nostros super eodem judicio, abjudicaverunt ei in conspectu nostro et principum infra atrium ecclesiæ omnem hæreditariam mansionem, et omnibus abbätibus et monachis talis beneficii concessionem.

Orta est nihilominus et alia temeritas ab eodem Rabanone, quod intra muros Corbeïensis monasterii quamdam similitudinem dignitatis sibi hæditario

jure vindicabat, quam præfecturam appellant, et se Burckgravium appellari faciebat, cum omnes abbates ejusdem monasterii hanc potestatem semper sub se habuerint, ut quidquid a suis infra muros delinqueretur, aut ipse corrigeret, aut camerario vel dapifero suo, seu alicui de familia sua corrigendum absque ulla potestate in perpetuum mansura committeret. Hac autem potestate præfatus Rabano in tantum abusus fuit, ut eam vulgari nomine Burgban, et secundum morem alicujus magnæ potestatis sæpe infra muros placitaret, et hujusmodi placita Burdinck appellabat. Ad hæc placita famuli fratrum monachorum de coquina, aut de pistrino, seu de quolibet eorum servitio cogebantur venire, qui etiamsi propter impedimenta servitii fratrum occurrere non poterant, violenter aut contumeliose a famulis illius pertrahebantur, et panem et escam fratrum imperfectam relinquere compellebantur. Hujusmodi ergo temeritatem de hac præfectura circa Corbeiense monasterium ex judicio principum regni prorsus interdiximus, et hanc potestatem in manu abbatis esse, sicut antiquitus fuit, decernimus. Nam in veteribus regum et imperatorum præceptis continetur, ut nullus dux, nullus comes, nulla sæcularis potestas aliquam potestatem infra muros ejusdem ecclesiæ exercendi judicium habeat, sed per abbatem et personas temporaliter a se ordinatas, quidquid a famulis monasterii contra juris et æqui rationem admissum fuerit, judicari oporteat. Et si principibus contra privilegium imperiale non licet, multo minus ministerialibus licere constat. Hanc ergo præfecturam, et supradictam infra muros laicorum habitationem, atque dapiferi et pincernæ de committendis clavibus potestatem ab aliquo usurpare, et hæreditario jure vendicari in supradicto monasterio nullatenus permittimus. Sed has tres prædictas usurpationes secundum judicia ministerialium nostrorum atque sententiam principum regni omnibus laicis decreto in perpetuum valituro interdiximus, et horum omnium potestatem abbati attribuimus.

Judicium de clavibus invenit Conradus ministerialis noster de Haga. Dei habitatione intra muros, et de præfectura judicium dedit. Item ministerialis noster Conradus de Wallehuson camerarius noster a thesauris.

Principes autem cum ministerialibus suis hi interfuerunt: Ortlewus Basileensis episcopus et sui ministeriales, Heremannus Constantiensis episcopus et sui ministeriales, Guntherus Spirensis episcopus et sui ministeriales, Eilulfus Murbacensis abbas et sui ministeriales, Waltherus Selensis abbas et sui ministeriales, Campidonensis abbas et sui ministeriales, Wizenburgensis abbas et sui ministeriales, Clerus et populus Vurmacensis Ecclesiæ quæ tunc vacabat, Clerus et populus Fuldensis monasterii quod tunc vacabat, Clerus et populus Lareshamensis monasterii quod tunc vacabat, Frithericus dux Sueviæ et Alsatia et sui mini-

steriales, Otto Palatinus comes de Withelispach et sui ministeriales, Herimannus marchio de Bathen et sui ministeriales, Wernherus comes Haveklesperch, Othelricus comes de Lensemburch, Wilhelmus comes de Glizperch, Comes Wilhelmus de Juliaco, Comes Imikho de Liningen, Comes Vulframus de Wertheim, Marquardus de Grunbach, Arnoldus de Rotenburch dapifer, Henricus marescalcus, Reingerus pincerna, Thiepertus de Winsperch camerarius.

*Signum domini Conradi Romanorum regis secundi invictissimi.*

Data anno Dominicæ Incarnationis 1150 indicatione XIII, anno vero domni Conradi secundi regis invictissimi XII, anno autem Wiboldi Corbeiensis abbatis tertio.

Actum Spiræ, in Christo feliciter.

### XXXI.

*Wibaldi abbatis litteræ quibus montem S. Michaelis ad festum S. Remacli et ad anniversarium ordinationis suæ celebrandam deputat.*

(Anno 1151. — Ex archivis Corbeia Novæ.)

In nomine sanctæ et individua Trinitatis. WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis abbas, successoribus suis regulariter ordinatis in perpetuum.

Quia memoriam nostram in benedictione apud fratres nostros jugiter permanere summo desiderio optamus, idcirco bona ipsis providere non tantum in animabus, sed et in corporibus pia sollicitudine intendimus; proinde notum esse volumus universis Ecclesiæ nostræ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, qualiter montem qui vocatur Sancti Michaelis, scilicet ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus ad festum sancti Remacli et ad anniversarium nostrum ordinavimus. Eundem namque montem, quia de præbenda fratrum fuerat piæ memoriæ prædecessor noster abbas Erkenbertus quondam iturus Hierosolymam, multis precibus evictus fratribus resignaverat. Verum postquam exierat, circumventus a quodam ministeriali suo Gerberto de Luttemarsen, eidem ipsum montem in beneficio concessit, quem post mortem patris, cum Henricus filius ejus occupasset, per dominum Volmarum abbatem ab illo receptus est, data ei appromissione, ut cum primum inter ministeriales vacaret, talentum unum in beneficium ab abbate acciperet; illis vero præcedenti tempore servitium unius abbatis apud Luttemarsen cujus curtis ipse villicus est detinere cœpit, seque illud tandiu detenturum dicebat, donec præmissum beneficium consequeretur. Unde nos in diebus nostræ prælationis tantum defectum mensæ abbatis per injuriam fieri per singulos annos æquanimitè non ferentes, evocato eodem Henrico, licet multo labore; tamen eo usque per judicia et sententias comparium suarum justis rationibus convictum eum destruximus, quod ipsum servitium nobis et mensæ abbatis Corbeiensis resignavit, sub tali conditione ut cum primum nobis vel successoribus nostris vacaret tale-

tum unum in beneficio acciperet. Nos ergo cum prædictum montem liberum in manu nostra haberemus, licet eum diu fratres repetissent, nequam eundem a prædecessoribus nostris receperant, vel fructum ex eo habuerant, simul considerantes quod idem mons æmulationi et petitioni laicorum semper subjaceret, pro memoria et veneratione beati Remacli domini ac patroni nostri, nec non pro remedio animæ nostræ eundem montem cum omnibus pertinentiis suis, item ecclesia cum dotali manso et villicatione cum mansis et agris ad eam pertinentibus et novalibus quæ a fratre nostro Godamino in ipso monte exstirpata et culta sunt, ad refectionem fratrum Corbeiensium in festo prænominati patroni nostri et in anniversario ordinationis nostræ id est in vigilia undecim millium virginum designavimus, ea videlicet ratione ut a clerico nostro Hildewardo, qui nunc montem habet, vel si quis post eum habuerit in decollatione sancti Joannis Baptistæ cellario fratrum xv solidos qui ad festum pertinent, in festo sancti Dionysii, item xv solidos ad anniversarium diem electionis nostræ, quoad vivimus, persolvantur. Postquam vero Deus ab hac vita nos evocaverit, in anniversario depositionis nostræ idem xv solidos pro memoria nostra a fratribus in perpetuum habeantur. Porro hoc omnibus notum esse volumus quod hunc montem clerico nostro Hildewardo cum ecclesia et villicatione et omnibus pertinentiis suis sicut supra scriptum est, sub eo pacto commisimus, ut quoad xxx solidos temporibus superius denotatis fratribus persolverit, eodem beneficio non privetur. Mox vero ut hanc summam administrare noluerit, ipse a beneficio tam ecclesiæ quam curtis cessabit, nec ullo tempore ecclesia, et quæ ad ipsam pertinent a curte et suis pertinentiis separari poterit, sed ut simul juncta xxx solidos annuatim persolvere. Fratres autem festum B. Remacli spontanea voluntate et communi in cappis et quinque candelis solemniter celebrandum instituerunt, in cujus die festo priorem missam in majori ecclesia de S. Remacli, majorem vero missam in capella, quæ domui nostræ adjuncta est et sub ejus titulo consecrata, de Dedicatione celebrabunt. Ne quis igitur successorum nostrorum hanc charitatem fratribus a nobis constitutam, ullo aliquando tempore auferre vel imminuere seu aliquo modo alienare præsumat, sine consensu Corbeiensis capituli, sub attestatione divini nominis, prædictum montem S. Michaelis fratribus Corbeiensibus ad festum beati Remacli et ad nostrum anniversarium, secundum præscriptam rationem decreto in perpetuum permanens ordinamus atque constituimus. Et, ut ratum atque inconvulsum hoc constitutum per omnia tempora permaneat, hanc nostræ constitutionis paginam sigilli nostri impressione roboramus atque confirmamus.

Hæc vero sunt nomina fratrum, quibus præsentibus et testibus hæc constitutio facta est: Henricus

A prior, Engelgerus, Thiedericus, Walterus, Adelbertus præpositus, Thiedericus, Adolphus, Conradus cellerarius, Elumigus, Mechtfridus, Isiko, Heremannus, Tegenhardus, Bruno, Conradus, Reinardus præpositus Eresburg, Heis, Henricus præpositus Gröningensis, Reinardus præpositus Kennad, Conradus portarius, Adelbertus camerarius, Brunigus, Abraham, Fiko, Lambertus, Othelricus, Heremannus, Thiedericus, Cono, Berenwigus, Ludolphus, Arnoldus, Reinmarus, Giselbertus, Mus, Fridericus. Pueri Rocholfus, Unargus, Wernerus, Robertus, Hartmannus, Reinerus, Dadfo, Burchardus, Markwardus, Wizzelmus, Antonius, Heitholfus, Heremannus.

B Actum Corbeie in capitulo anno Domini 1151, indictione xv, in die festo S. confessoris Christi ac pontificis Remacli, anno autem prælationis domini Wibaldi abbatis Corbeiensis sexto.

XXXII.

*Diploma Friderici Romanorum regis aureis conscriptum litteris, et in conventu per celebri Mersburgi concessum Wibaldo abbati. — Jura et privilegia Corbeie Novæ instaurat.*

(Anno 1152.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis. FRITHERICUS, divina favente clementia, Romanorum rex.

C Ad regie dignitatis munificentiam pertinet bene de republica merentibus virtutum præmia tribuere, et ut ipsi pro suæ fidei constantia laboris sui emolumenta percipiant, et cæteri ad exsequenda imperii munia bonæ spei pleni et alacres fiant. Noveris igitur omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industria quod noster fidelis et charissimus monasterii, quod Nova [Corbeia dicitur, abbas Wibaldus nostram clementiam interpellavit, ut privilegia Corbeiensis Ecclesiæ, cui nunc idem venerabilis abbas præesse cognoscitur, innovare et confirmare dignaremur. Cujus religiosæ petitioni, ob insignem ipsius fidem circa dominum et patruum nostrum, beatæ scilicet recordationis antecessorem nostrum inelytum, regem Conradum, nec non et circa promotionem nostram in regnum, cujus gubernacula, Deo auctore, post mortem ejus suscepimus, aurem pietatis inclinantes, per præsentis pagine seriem, sub regie majestatis tuitionem locum ipsum, Novam videlicet Corbeiam, cum omnibus sibi tam intus quam foris pertinentibus assumimus, eumque perpetua libertate donantes, quemadmodum piæ memoriæ prædecessorem nostrum ejusque progenitores, reges et imperatores ante eum fecisse cognoscimus, nostra et omnium principum auctoritate, lege in perpetuum valitura firmamus. Ne præfatum monasterium Nova Corbeia in potestatem vel ditionem, sive subjectionem alicujus personæ, seu ecclesiasticæ, seu sæcularis dignitatis, per aliquam donationem seu commutationem cedat, sed semper sub ordinatione et defensione regum vel imperatorum consistat, et libertate, quam hactenus obtinuit, in perpetuum potiat. Et quoniam ab imperatore Luthewico duo monasteria constructa sunt, et a no-

stris prædecessoribus honore et divitiis aucta, unum videlicet monachorum, quod Nova Corbeia dicitur, ad normam scilicet Veteris Corbeie, Herivordense vero sanctimonialium, ad similitudinem Suessionensis monasterii, decretum est ab eis ut Corbeiensis abbas, quicumque pro tempore fuerit, procuracionem agat Heriverdensis Ecclesie, ita videlicet, ut, juxta consuetudinem, qua ancillarum Dei congregationibus procurari solent præpositi ex ordine ecclesiastico, tam in disciplina quam in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu et professione sua exsequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Nos ergo prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, confirmamus, et decreto in æternum valituro statuimus ut omnes per successionem Corbeiensis cœnobii abbates præscripta procuracione et patrocinio absque ullius contradictione utantur, et servata dignitate abbatissæ, in quibus opportunum fuerit, Herivordensi congregationi assistant. Confirmamus etiam eidem, qui nunc divina vocatione et communi atque concordia fratrum electione Corbeiensis monasterio præest, abbati scilicet Wibaldo, nec non cunctis successoribus ipsius, auctoritate in æternum valitura, monasterium quoddam, quod vocatur Keminada, quod piissimus prædecessor et patruus noster beatæ memoriæ Conradus rex pro fidelitate et petitione prænominati fidelis et charissimi nostri Wibaldi abbatis tradidit super reliquias corporis sancti Viti martyris, per aureum donationis suæ annulum, in potestatem et jus atque dominationem Corbeiensis monasterii, ita videlicet ut Corbeiese monasterium prænominatum monasterium, scilicet Keminada, quemadmodum et a reverendo Patre nostro papa Eugenio per auctoritatis suæ privilegium eidem Corbeiensis monasterio confirmatum esse dignoscitur, cum omnibus prædiis suis, silvis et aquis, tam foris quam intus, ad ipsum locum pertinentibus, habeat, possideat, ordinet, utatur et servet sicut tenet sub suo regimine, jure videlicet proprietario, tres abbatiolas, quas fundator ejusdem Novæ Corbeie Luthewicus Pius, magni Caroli filius, ad eandem Corbeiam contulit, scilicet Eresburch, nobile quondam Saxonum castrum, cum decimis circumquaque per duas Saxonicas rastas adjacentibus, nec non Meppiam atque Wisbike, cum decimis et possessionibus undique ad eas pertinentibus. Ad Herivordense vero monasterium in episcopatu Osnebrugensi, ecclesiam Buinidi cum subjectis sibi ecclesiis in parochia Mimiernivordensi, ecclesiam Rheni cum his quæ ad eam pertinent ecclesiis, præterea, quod ab exordio eorumdem monasteriorum, Corbeie scilicet, et Herivord a nostris antecessoribus constitutum est.

Nos quoque firmiter servari volumus, videlicet ut ubique vel ipsa monasteria, vel cellæ eorum, casas aut curtes habuerint ex rebus, quas ibidem laboribus suis acquirunt, decimas dent ad portam monasterii, nec alibi eas dare cogantur, quatenus inde in nostram ac totius generis perennem mercedem

A supervenientibus peregrinis et hospitibus serviatur, sicut in regia capitulari, et in decreto synodali permissum est, xenodochia et reliqua fidelium pauperumque construi hospitalia, et mos fuit semper in sacris concedi cœnobiis. Statuimus quoque ne episcopi aut eorum archipresbyteri in ipsorum ecclesiis a suis presbyteris missarum celebrationes fieri interdiciant, sed si quid sui juris sibi inde negari putant, ad nostram præsentiam et synodalis examinis judicium deferant. Sed et hoc decernimus, ut decimas vel decimales Ecclesias, imo universas possessiones suas in quibuslibet episcopis, præcipue in Bremensi, Osnebrugensi, Patherneburnensi, ubi plurimas habent, et res et decimas ita integerrime teneant atque possideant, sicut ab antecessoribus nostris, regibus videlicet et imperatoribus hactenus tenuerunt atque possederunt. Concedimus etiam, juxta decreta prædecessorum nostrorum, liberam utrique loco potestatem eligendæ de propria congregatione in regimen sui congruæ personæ. Et statuimus ut nullus judex publicus in homines ad monasterium Corbeiese, vel ad prænominatas cellas ipsius pertinentes ullam judiciariam habeat exercere potestatem, sed omnis eorum res coram advocato ipsorum diffiniatur. Et ut justitiam, quæ appellatur Burchban, nemo sibi usurpare præsumat, nisi cui potestas ab eodem cœnobii abbate concessa fuerit, et ut liberi homines licentiam habeant tam seipsos quam prædia sua eidem monasterio conferre, nec quivis judex, aut regia potestas solitum debitum, aut publicum vectigal ab eis deinceps extorqueat. Sane quod piissimum prædecessorem nostrum, inclytum et gloriosum principem, felicis memoriæ dominum ac patrum regem Conradum, ex judicio principum ac ministerialium regni, in plena curia statuisse cognoscimus, nos quoque ejus vestigia sequentes, decreto in æternum valituro firmamus atque statuimus ut nullus laicorum habitationem infra muros prædicti Corbeiensis monasterii sibi aliquando usurpare audeat hæreditario jure, sed cœmeterium, quemadmodum congruum est, religiosorum habitationibus liberum et expeditum omni tempore pateat. Hoc quoque simili firmitate præcepto nostro roboramus, ut dapiferi atque pincernæ Corbeiensis abbatis nullam omnino potestatem de committendis clavibus rerum domini sui habeant, sed in dandis clavibus, et ordinandis rebus domus suæ liberam potestatem, quemadmodum a prædecessore nostro per judicii sententiam determinatum esse novimus, abbas in perpetuum obtineat. Ut autem hæc omnia rata et inconvulsa in perpetuum habeantur, chartam hanc conscribi et sigilli nostri impressione signari præcepimus.

Testes vero hi adfuerunt, Sueno rex Danorum, qui ibidem regnum suscepit de manu domini regis; Knut alter Danus, qui ibidem regnum in manum domini regis refutavit. Hartwigus Bremensis archiepiscopus, Othelricus Halberstadensis episcopus, Burchardus Argentinensis episcopus, Wiemannus



Citicensis episcopus, Daniel Pragensis episcopus, A  
Bernardus Patherbornensis episcopus, Henricus  
Mindensis episcopus, Heremannus Ferdensis, An-  
selmus Havelbergensis, Emehardus Mechelembur-  
gensis, Wikkerus Brandeneburgensis, Marquardus  
Guldensis abbas, Henricus Heresfeldensis abbas,  
Arnoldus Niemburgensis abbas, Henricus dux  
Saxonie, Dominus Welfo avunculus ejus, Conra-  
dus marchio de Misnia et filii ejus, Marchio Adelber-  
tus et filii ejus.

*Signum domni Fritherici Romanorum regis invi-  
ctissimi.*

Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Mogun-  
tini archicancellarii recognovi.

Data in curia Mersburch anno Incarnationis Do-  
mini 1152, indictione xv, anno domini Fritherici B  
Romanorum regis I. Actum in Christo feliciter.  
Amen.

## XXXIII

*Privilegium Adriani IV papæ pro monasterio  
Stabulensi.*

(Anno 1154.)

ADRIANUS, etc.

Quoties illud, etc. *Vide in Adriano ad an. 1159.*

## XXXIV.

*Privilegium Adriani papæ IV Wibaldo abbati con-  
cessum. — Usus sandaliorum et dalmaticæ, alia-  
que Corbeiensis monasterii privilegia confirmat.*

(Anno 1155.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis  
suis, GUICBALDO Corbeiensi abbati, ejusque fratribus C  
tam presentibus, quam futuris, regularem vitam  
professis in perpetuum.

Officii nostri nos admonet et invitat auctori-  
tas, etc. *Vide in Adriano papa IV, ad an. 1159.*

## XXXV.

*Diploma Adriani papæ IV Wibaldo abbati conces-  
sum. — Monasterium Werbense in temporalibus  
et spiritualibus valde attritum unit Corbeiensi.*

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto  
filio WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem et aposto-  
licam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc. *Vide in  
Adriano.*

## XXXVI.

*Litteræ Adriani Papæ IV Moguntino antistiti. — Ut  
Bobbonem Werbensis abbatiæ advocatum, qui Wi- D  
baldo abbati multa comminatus fuerat, districte  
moneat, et in ordinem redigat.*

(Circa 1155. — Ex ms. Hist. Corbeie.)

ADRIANUS, servus servorum Dei, dilecto in Chri-  
sto filio Moguntino episcopo, salutem et apostoli-  
cam benedictionem.

Prædecessorum nostrorum vestigia imitati, etc.  
*Vide in Adriano.*

## XXXVII.

*Litteræ Wibaldi abbatis ad suos successores. — Par-  
tem aliquam silvæ hospitali Groningensi tradit.*

(Anno 1156. — Ex archivo Corbeie Novæ.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Wi-  
BALDUS Dei gratia Corbeiensis Ecclesie abbas omni-  
bus successoribus suis in perpetuum.

Si indigentias pauperum de nostra abundantia  
supplere curamus, et fiduciam magnam nobis co-  
ram summo Deo per eleemosynam constituimus, et  
exemplum posteris nostris relinquimus. Proinde  
noverit omnium fidelium Corbeiensis Ecclesie præ-  
sentium et futurorum industria quod nos intuitu  
divinæ retributionis partem quamdam silvæ, quam  
juxta Groningen habuimus, cum a quibusdam laicis,  
ut eam a nobis in beneficio acciperent, multum ro-  
garemur, pro remedio animæ nostræ et pro salute  
omnium successorum nostrorum abbatum, videlicet  
monasterii Corbeiensis, idem nemus, quod habui-  
mus in silva, quæ vocatur Hachel, ad obedientiam  
hospitalis in Groninga, ex petitione fratrum nostro-  
rum Corbeiensium tradidimus, maxime insistente  
nobis eo, qui hanc obedientiam tunc temporis ser-  
vabat, fratre Ruchardo, ut hanc eleemosynam per-  
ficeremus. Ejusdem ergo terræ traditione facta ad  
hospitale in Groninga, omnes successores nostros  
per tremendam judicii Dei futuram discussionem  
obtestamur, ne eandem eleemosynam de eodem  
hospitali ullo unquam tempore auferant vel immi-  
nuant, sed eam pro æternæ vitæ retributione ibi-  
dem jugiter conservare studeant. Ut autem hæc  
nostra traditio per omnia futura tempora hospitali  
de Groninga rata et inconvulsa permaneat, factam  
a nobis traditionem per has litteras posteris nostris  
significavimus. In testimonium et donationis no-  
stræ firmamentum, sigillo nostro signari præcipi-  
mus.

Testes de ministerialibus adfuerunt, Conradus de  
Amelungessen, Reinerus de Porta, Godescalcus pin-  
cerna, Heis, Henricus, Lutherus, Alwinus filius  
ejus, Volckwinus, Wernerus frater ejus.

Dominicæ Incarnationis 1156, prælationis autem  
domini Wibaldi in Corbeiensi Ecclesia x, iv Idus  
Februarii inter capitulum et horam sextam, in  
Christo feliciter. Amen.

## XXXVIII.

*Litteræ Theoderici abbatis Corbeie Novæ. — De  
conscribendis chronicis monasteriorum.*

(Anno 1157. — Ex ms. Corbeie Novæ.)

THEODERICUS abbas, monasterii sanctorum mar-  
tyrum Stephani atque Viti in Corbeia omnibus hæ-  
ce lecturis gratiam et salutem in Domino sempi-  
ternam. Amantissimi confratres, multum sane re-  
fert, ut Ecclesie nostræ aliarumque eidem subje-  
ctarum antiquitates, fundationes, dotationes, jura,  
privilegia, et laudabiles usus ac consuetudines una  
cum aliis notabilibus, ad futurorum posterorum  
memoriam, nostramque informationem, et delecta-  
tionem colligantur et describantur. Cum igitur pii  
prædecessores nostri Marquardus et Wigboldus,  
quorum memoria in benedictione sit, confratribus  
dilectisque filiis suis cum primis senioribus et ex-  
perientia rerum conspicuis inque præpositura vel  
alia dignitate constitutis mandarint, ut quisque  
sue Ecclesie seu monasterii, cui pro tempore præ-  
erat, Chronicon contexeret, seu ab aliis forsan cœ-

ptum continuaret: diversi etiam fratres monitis A hisce obsecundantes, industriam suam egregie probarint; nos inclytis eorum vestigiis insistentes, idem mandatum ceu justum et salutare tenore præsentium innovamus, et redintegramus, volentes ut quod quilibet de suo monasterio seu Ecclesia Chronicon antea scriptum habet, diligenter custodiat, idque secundum seriem annorum ad sua usque tempora fideliter continuet. Si vero nullum adhuc exstet, vel

ipse aliquod concinet, seu per alium idoneum et fidelem virum conscribi curet. Nos libenter ex archivio et bibliotheca quæcunque necessaria fuerint suppeditabimus, non tantum sed etiam cujuslibet studium utj antecessores nostri specialiter cohonestabimus. Valete in Domino.

Datum in abbacia nostra imperiali anno gratiæ 1537, ipso die beatæ Veronicæ.

ANNO DOMINI MCLVI

# ERNALDUS ABBAS BONÆVALLIS

IN DIOECESI CARNOTENSI.

## NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA.

CODIN, *Script. eccles.*, t. II, pag. 1288.

Arnaldus seu Ernaldus Bonævallis in valle Carnotensi abbas, vir quamvis obscuræ originis, non obscuræ tamen famæ fuit, sancto Bernardo Clarævallis abbati æqualis, atque ipsi maxime intimus et familiaris, uti et Petrus Cellensis. Institutum divi Benedicti professus apud Bonamvallem Carnotensis diocesis, ut verisimile est, ubi totum se illis addixit studiis, quibus Christiana et religiosa pietas pasci ac foveri solet. Divinis ita humanisque litteris instructus, cœnobio huic abbas successu temporum et observantiæ merito præfectus est, maximo hujus monasterii honore et commodo, quod in agro Carnotensi vix sexto ab ipsa urbe milliari conditum est. In qua etiam urbe Petrus Celletis paulo post obitum Ernaldi, munus episcopale gessit. Hic Ernaldus est quem S. Bernardus Clarævallis abbas plurimum adamavit, ut epistola ipsius 316, ad eum manu propria in extremis a Bernardo scripta, fidem facit. Hic Ernaldus est, ab Arnulpho quoque Lexoviensi episcopo laudatus, cui in hæc verba ægrotanti Arnulphus scripsit: *Cœperunt occurrere mihi quæ de vestra dilectione jocunda provenerant. Occurrebat mihi siquidem sanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire sollertia, et aures jocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeam admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi invicem paritate respondent, ut neque rerum majestas verborum videatur coarctari angustiis, nec sermonis dignitas, aliqua sententiarum excellentia prægravari.* Exstant et aliæ ejusdem ad eundem epistolæ in quibus, sicut etiam ab Henrico Gandavensi, *Ernaldus* semper appellatur.

Tanta cum fuerit Ernaldi nostri doctrina et pietas, lucubrationes tamen ejus aliæ quidem hactenus latuerunt, aliæ aliis auctoribus adscriptæ sunt, excideruntve, paucis auctori germano reservatis. *Ernaldus*, inquit Henricus Gandavensis, *abbas Bonævallis Vitam sancti Bernardi in quatuor libris, præter illum quem abbas S. Theodorici Guillelmus scripserat, explicavit; multa hinc inde tangens, quæ ipsi pertinere videbantur ad materiam quam scribebat. Commentatus est etiam super quinque vel sex ultimis verbis Domini in cruce, multipliciter ac subtiliter inde disputans.* Verum in hoc lapsus est Henricus quod quatuor libros de *Vita sancti Bernardi* Ernaldo tribuerit, cui rectius Trithemius unicum assignat et quasdam epistolas. Ex libris enim quinque de *Vita Bernardi* passim obviis, primus est Ernaldi fetus, alter Guillelmi abbatis Sancti Theodorici, ac postea in Signiaco monachi ordinis Cisterciensis. Tres reliqui spectant ad Gaufridum, olim Bernardi notarium seu amanuensem, ac postea quartum Clarævallis abbatem. Insuper in eo hallucinatur Henricus, quod in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* Ernaldum ordinis Cisterciensis fuisse dicit, quem instituti Benedictinorum fuisse certum est. Præter hæc, alia etiam opuscula Ernaldum auctorem præferunt in diversis bibliothecis, alia hactenus latuerunt aut penitus exciderunt. Ex his omnibus Ernaldi operibus in ultima editione Operum divi Cypriani, Oxonii in Anglia anno 1682, e theatro Seldoviano, procurata, atque ex anterioribus multis editionibus correctâ, prodierunt *De septem verbis Domini in cruce. De operibus Christi cardinalibus*, opusculum lucusque perperam D. Cypriano Carthaginensi episcopo attributum. *De operibus sex dierum. De laudibus beatæ Mariæ Virginis. Meditationes variæ.* Itemque inter Opera divi Bernardi sæpius, *Liber primus de Vita S. Bernardi*, Bernardo alteri Bonævallensi apud Viennenses (ut aiunt) abbati, suppositus a plerisque; de quibus singulis paulo amplius agendi occasionem hic aucupari, haud incongruum lectori erudiendo fuerit.

Opusculum *De septem verbis Domini in cruce*, a nullo Arnaldo Bonævallis abbati non ascribitur, quamquam nonnulli in eo fallunt fallunturque, quod Bonævallis apud Vesuntiones abbatem interpretentur. Verum quæstionem omnino dirimit inscriptio apographo Cisterciensi subjecta: *Arnaudus abbas de Bona-*